DE
HOMERICAE INTERPRETATIONIS ANTIQUISSIMAE VESTIGIIS NONNULLIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

MAXIMILIANUS BODENHEIMER
RASTADENSIS.

ARGENTORATI
J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MUENDEL SOCII).
MDCCCLXXXX.

DE
HOMERICAE INTERPRETATIONIS ANTIQUISSIMAE VESTIGIIS NONNULLIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

MAXIMILIANUS BODENHEIMER
RASTADENSIS.

ARGENTORATI
J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MUENDEL SOCII).
MDCCCLXXXX.

GEORGIO KAIBEL

Praeceptori Carissimo

S.

Homeri studia omnibus temporibus apud Graecos viguisse neque quemquam veterum poetarum fuisse, qui tanto opere coleretur, tanta diligentia legeretur, tanta assiduitate tractaretur inter omnes constat. Quanto in honore et admiratione parens ille poesis apud Graecos fuerit, quem cum omnium divinarum humanarumque rerum, tum dicendi artis praeceptorem putaverunt optimum, testimonio sunt et frequentissimae omnium fere poetarum scriptorumque imitationes Homericae et tota illa Homericorum commentariorum moles, qui a grammaticis Graecis compositi aut continuos absolutosque libros aut breviculas singulorum verborum explicationes efficiebant. Quid qui inde ab Alexandrinorum aetate in poeta perlustrando, tractando, cognoscendo operam collocabant, ad haec studia promovenda contulerint, Wolfio et Lehrsio praeeuntibus iam aliqua e parte[1] exploratum habemus. Sed usque ad hoc tempus caremus historia Homericorum studiorum, qualia fuerint ante Alexandrinos et quid qui prioribus saeculis carmina Homerica studiis suis amplectebantur, in Homero illustrando assecuti sint. Huius historiae viri docti ne fundamenta quidem iecerunt, quibus hanc doctrinam superstruere et demonstrare possimus, quid longo illius aevi spatio, quod Alexandrinos praecurrit, in studiis Homericis profectum sit. Hoc ut exploremus in piis, quae dicuntur, philologorum desideriis habendum esse noli putare. Nam praeterquam quod etiam nunc et in scholiis et in lexicis interpretationis

---

[1] Sed quamquam multi in haec studia incubuerunt, ne Zenodoti quidem qualis quam Homero impenderit opera fuerit adhuc satis cognitum habemus, cum Duentzeri commentatio huc fere nihil faciat.

Homericae, quemadmodum fuerit ante Alexandrinos, documenta et vestigia exstant, imprimis ad condendam hanc historiam illa subsidia nobis adeunda et adhibenda sunt, quae poetae et scriptores, qui quidem ante Alexandrinos floruerunt et velut Plato, Xenopho, alii Homeri locos afferunt, occasione data interpretantur, denique ipsi poetam epicum imitantur, nobis praebeant. Ex Homero enim, velut fonte perenni, Graecorum poetas et scriptores plus minusve hausisse et multa ex Homeri sermone delibata in suum usum convertisse iam pridem intellectum est. Sed ne hodie quidem quisquam demonstrare studuit, qua ratione poetae et scriptores Homeri voces locutionesque in suum usum verterent et quam singulis vocabulis significationem tribuerent. Hanc materiam nuper Evaldus Bruhn[1] strictim tetigit, cum haec recte diceret : «Exponendis veterum grammaticorum studiis Homericis postquam Carolus Lehrs Aristarcho suo viam patefecit, haud pauci operam dederunt; scriptores Graeci quid in intellegendo poetarum principe praestitissent, nemodum fere quaesivit; nam qui de serioris alicuius poetae ‚studiis Homericis' scripserunt, ii fere semper conlegerunt, quae apud illum invenirentur imitiationis Homericae vestigia, raro curaverunt, quomodo ille Homerum interpretatus esset. Atqui dum Porphyrii insanientem sapientiam arte recensemus, ne haec quidem indigna videntur, quae in lucem protrahantur. Nam qualia sint, quid refert? Sint vana et inutilia, candidissimo calculo notabimus iuvabitque semper cognosse, quid de his quaestionibus multum et diu a nostratibus pertractatis illi iudicaverint. Quid? quod etiam ad usum nonnihil inde capi potest emolumenti? Mihi certe in vertendis eis vocabulis, de quibus dubia et incerta a grammaticis nostris proferuntur, satius videtur Pindarum Aeschylumve sequi quam recentiorum alicuius lubricae auctoritati se addicere; ab illis enim nihil nos edoctum iri scimus, quod ab hominis vere Graeci ingenio abhorruerit, non item ab his. Non est autem in his quaestionibus obliviscendum saepius non ipsa Homeri verba adferri, sed tecte significari, cum tamen dubitari non possit quin vertantur vocabula Homerica.» Sed in hac commentatione

[1] Lucubrationum Euripidearum capita selecta, ann. phil. vol., suppl. XV, 1887, p. 300.

in priorem tantum horum Homeri studiorum partem inquirendum duxi et eos tantum locos collegi, quibus Homerica vocabula exstant, cum haec quaestio multo latius altera pateat et facilius ad certum finem perduci possit. Poetas enim et scriptores certa significatione voces locutionesque Homericas, quas carminibus et orationi intexere solebant, usurpasse consentaneum est. Quam significationem non e cotidiano sermonis usu haurire poterant imitatores, quoniam haud pauca illorum Homericorum iam pridem vetustate exoleverant et in oblivionem venerant, immo ad Homeri genus dicendi intellegendum interpretationis arte opus fuisse et iam antiquitus in scholis exstitisse magistellos, qui quoad poterant Homeri explicandi munere fungerentur, non ignoramus. Iam inde a Pisistratidarum aetate viros doctos Homero explicando operam navasse certum est, quo e numero fuerunt Theagenes Rheginus, qui primus dicitur Homericorum carminum interpres et Cambysis regis temporibus floruit, deinde Glaucus,[1] Metrodorus, Stesimbrotus Thasius, quorum qualia fuerint conamina, nihil fere accepimus; posteriores autem interpretes sine dubio magna e parte in reconditis vocibus Homericis exponendis versabantur, unde hi commune glossographorum nomen capiebant apud Alexandrinos. Multo igitur ante Alexandrinos glossarum Homericarum lexica vel indices compositos esse cum per se ipsum pateat, tum testem habemus Aristophanem fr. 222 (δαιταλῆς), ubi pater filio improbo glossas Homericas explicandas proponit:

πρὸς ταῦτα σὺ λέξον Ὁμήρου ἐμοὶ γλώττας, τί καλοῦσι κόρυμβα;
τί καλοῦσ' ἀμενηνὰ κάρηνα;

E quo loco nobilissimo quid efficiendum sit, clare apparet: in carminibus Homericis versatum esse et vocabulorum Homericorum cognitionem sibi parasse adulescentibus laudi atque gloriae vertebatur ab iis, qui ipsi priscae probaeque eruditionis moribus imbuti veterem scientiam ex Homero cognoscendo et ediscendo redundantem colebant atque repudiabant novam disciplinam per sophistas rhetoresque illatam et propagatam.

Communis est omnium poetarum Graecorum consuetudo, ut

---

[1] Cf. Hiller, die Fragmente des Glaukos von Rhegion, Rh. Mus., 41 p., 431 sq.

Homeri carmina cum memoria tenerent, tum etiam crebra et accurata imitatione exprimerent. Praeclaro exemplo Nauck[1] quod olim ex Zenodoti quae putabatur coniectura in Iliadis A 5 legebatur, tum a caecis Aristarchi admiratoribus repudiatum est οἰωνοῖσί τε δαῖτα, id ipsum non a Zenodoto temere inventum, sed antiquitus traditum fuisse demonstravit tragicorum imitatione nisus velut Aesch. Suppl. 808; deinde forma genetivi πολυδακρύου,[2] quae e falsa scriptura P 192, ubi πολυδάκρυος restituendum est, evasit et quam Zenodotum legisse scimus, cum Apollonius Rhod. II 916 praebeat πολυδάκρυον, fortasse iam Euripidis temporibus vulgata fuit, si modo vera est Wakefieldi emendatio Herc. 426 πολυδάκρυον pro codicum πολυδάκρυτον, quod metro repugnat, cum utrum idem etiam in Tyrtaei aetatem cadat, apud quem codices inter πολυδακρύου et πολυδακρύτου fluctuant in carm. 11, 7, an potius pristina forma Homerica πολυδάκρυος praeferenda sit, dubium videatur. Huc quoque pertinet tragicorum usus metricus vocis φᾶρος, in quo imitatio falsae scripturae Hesiodeae op. 198 φαρέεσσι conspicua est, ubi recte iam Hermanno flagitante φάρεσσι legitur.[3] Cum enim huius vocis prima syllaba semper producatur in poesi epica, poetas tragicos hanc scripturam Hesiodeam, ubi in φαρέεσσι corripitur, novisse et sua imitatione secutos esse certum est. Plane enim Sophocles illi usui qui videbatur Hesiodeo se addixit semper primam syllabam corripiens, cum Euripides duplicem sibi concedat prosodiam, Aeschylus vero semel tantum Sept. 316 morem singularem adscivisse videatur. Formas autem quasdam, quas Homeri codices vel scholia exhibent, tragicorum temporibus ignotas fuisse constat, velut ἀσπιδής pro σπιδής (cf. Aeschyli σπίδιος), μαλός pro ἀμαλός (cf. Euripidis ἀμαλός), similia.

E tragicorum igitur fabulis cum discamus quid quinti saeculi homines in Homero scriptum invenerint, tum indidem quomodo illo tempore obscura quaedam Homeri vocabula interpretati sint non minus intellegi potest ex eorum imitatione. In

---

[1] Mél. Gr. Rom. III, p. 9 sq.

[2] Cf. v. Wilamowitz, Eur. Herakl. II, p. 136 sq.

[3] Cf. Kaibel epigr. gr. n. 1110 adn.; Usener Rh. Mus. XXIII 148; Rzach Wien. Stud. V 188.

numero enim Homeri imitatorum, ut Herodotum, Thucydidem, Platonem, alios omittam, imprimis habendi sunt poetae tragici maximeque omnium Aeschylus et Sophocles, cum Euripides in usurpandis vocibus Homericis multo parcior fuerit, sive quod hoc ad singulorum poetarum ingenium redit, sive quod temporis discrimen in causa est. Cum exploratum habuerimus, quemadmodum hi poetae Homero usi sint, quam significationem singulis verbis et locutionibus subiecerint, sensim pedetemptimque eo perveniemus, ut multo clarius quam adhuc fieri potuit perspiciamus, quae fuerit illius aetatis ratio ritusque Homeri interpretandi.

Tum alia causa flagitare videtur, ut hoc munus suscipiatur. Haud raro enim interpretes quidam ea utuntur ratione voces Homericas apud lyricos tragicosque explicandi, ut etymologiam et significationem, quae apud Homerum vera sit, exploratam et subiectam in exempla poetarum lyricorum et tragicorum temere transferant, tamquam hi poetae fuerint grammatici perfectissimi, qui diligentia et peritia philologica adhibita semper veram etymologiam et notionem in Homero conspicuam intellegerent et sequerentur. Ut unum instar omnium exemplum afferam, Nauck contra eos, qui in loco Sophocleo Ai. 890 ἀμενηνόν vagantem, manum apprehensuri eludentem, deprehensu difficilem intellegunt, ita pugnat, ut dicat ἀμενηνός non a μένω verbo sed a μένος vocabulo ductum esse. Quod inconsideratius dictum putaverim. Nam etymologiam usui Homerico propriam minime in Sophoclem transferri posse, sed eam, quam Sophocles subiecerit, ex ipso usu Sophocleo eliciendam esse luce clarius est. Omnino talia argumenta ex etymologia sumpta licet in Homero valeant, tamen in vocum Homericarum imitatoribus iis locus non datus est. Ceterum ne in Homero quidem haec inquirendi ratio ubique admittenda est, cum Homerum e priore poesi epica, quae ante Homericam floruit, multas voces et locutiones, quarum verum sensum vetustas iam pridem aboleverat, deprompsisse verisimillimum sit; quare Aristarchus quamquam hoc non perspexit et temporis discrimen plane neglexit et omnino tam angusti pectoris erat, ut qui unus locus suae doctrinae obstaret eum corrigere mallet quam intellegere, tamen illud iure fecit, quod in vocibus Homericis tractandis non ex etymologia pro-

ficiscebatur, sed primum earum vim, deinde quoad potuit etymologiam enucleabat; sed cum unum et par omnium carminum Homericorum dicendi genus putaret esse, erravit et errare debuit, quod praeter ceteros antiquissimi carminis versus quintus Iliadis docet (v. s.). Cum enim carmina Homerica eorumque singulas partes iisdem temporibus attribui non posse inter viros doctos constet, apud Homerum ipsum pristinam innatamque etymologiam et significationem ab usu recentiore saepe segregandam esse patet. In tragicis vero poetis illam rationem, quae ex etymologia singularum Homericarum vocum notionem definire studet, prorsus reiiciendam esse patet, immo via contraria ingredienda et enitendum est, ut collectis exemplis dispositisque et iudicatis e sententiarum ratione vocabulorum significatio et ubi fieri possit etymologia enucleetur. Quod ut demonstrarem, Pindarum, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem elegi adhibitis paucis ceterorum quoque lyricorum et tragicorum locis, qui e fragmentis ad hanc quaestionem pertinent, cum quod plurimi ex his sunt Homeri imitatores,[1] tum quod fere semper erui potest, qua vi et notione voces Homericas posuerint. Qui cum in vocibus Homericis adhibendis haud raro in errorem lapsi sint, tamen nunquam quod saepissime in poetis Alexandrinis accidit, artificiosos vel ineptos imitatores deprehendimus; immo eorum usum saepe satis notabilem nisi e satis accurata Homericorum carminum contemplatione fluere non potuisse accuratius inquirentibus patebit. Atque sane in obscuris vocibus Homericis intellegendis malo stare cum Aeschylo et Sophocle quam viles scholiastarum interpretationes vel dubiam Sanscriticorum auctoritatem secutus doctus videri. Itaque illud spectandum erit, ut quae voces Homericae in lyricorum carminibus et tragicorum fabulis inveniuntur, demonstretur, qua significatione eas usurpaverint, in quibus morem et consuetudinem Homericam servaverint, in quibus a poeta epico recesserint. Quam ad rem conficiendam breviter saltem exempla Homerica componenda sunt et explicanda et ipsius vocabuli et compositorum vel deri-

---

[1] Cf. M. Lechner, de Aeschyli studio Homerico, Progr. Erlangen 1862; id, de Sophocle poeta Ὁμηρικωτάτῳ, Progr. Erlangen 1859; id., de Homeri imitatione Euripidea, Progr. Erlangen 1864.

vatorum, tum Homericae poesis imitationes, velut Hesiodi et hymnorum, conferendae, utpote qui sint posteriorum imitatorum fontes, quos solos ad nos pervenire fatum sivit. Atque hac quidem disputatione non eas tantum voces epicas exhibebo, quae apud Homerum leguntur, sed ne eas quidem Homericis rariores, quae apud ceteros poetas epicos inveniuntur et variis modis explicantur, ab hac quaestione alienas duxi.

Sed antequam ad rem ipsam aggrediamur, quales quae hoc loco examinentur voces sint aptae disserendum est. Nam primum excludenda sunt omnia vocabula epica, quae e poesi epica in cotidianum vel solitum Graecorum sermonem transierunt, ut δόρυ [1] (Thucyd., Xenoph., Plat.), κτύπος (Thucyd., Xenoph., Plat.), δέρκομαι (non in prosa oratione legitur, sed in communem poetarum sermonem transiit), deinde illa, quorum quamquam sunt epica, etymologia et significatio per se ipsa patet neque ullo tempore dubia esse poterat, ut ἀδμής, ἀγχέμαχος, πολύτλας. Deinde non huc pertinet, si quid consulto poetae posteriores novaverunt; velut si apud Aeschylum vocabulum περίφρων pro epica prudentis notione superbum significat, vel Euripides γαμφηλάς non more Homerico bestiarum maxillas, sed rostra avium [2] dicit, hoc non fluxit ex interpretatione Homerica, sed debetur licentiae poeticae. Singula autem vocabula ante omnia quaerendum est num re vera sint obsoleta et e poesi epica imitationis artificio vel consilio quodam a poetis posterioribus adscita. Cavendum enim est, ne voces, quae etsi primo obtutu Homericae videantur, tamen e dialectis pervulgatis, ut saepissime ex Ionica, depromptae sunt, afferamus et tractemus. Nam talium verborum cognitionem poetae lyrici et tragici facile e dialectis ipsis haurire poterant, qualia sunt κουρίδιος (voc. Ion. cf. Herodot), ἰχώρ (voc.

---

[1] At qui merum sermonem Atticum repraesentant, haec vocabula evitare solent; illis quidem compositis δορυφόρος, δοριάλωτος oratores Attici utuntur, sed δόρυ ipsum non adhibent Ex Atticis Thucydides, Plato, Xenopho saepe singulares sermonis proprietates praebent, cum voces immiscuerint poeticas, obsoletas, dialecticas.

[2] Morem tragicum imitantur Alexandrini, Apollonius velut Rhodius Harpyiarum rostra γαμφηλάς vocat II, 188, cum Lycophron uno loco v. 94 epicum, altero v. 266 tragicum exprimat.

Ion. cf. Hippocr. et Aristot.[1]), νωθής (voc. Ionic. cf. Herodot), αἰόλος, ἀλαός, multa alia id genus. Sed fieri potest, ut vox aliqua Homerica quamquam in dialecto exstabat, tamen a poetis posterioribus non ex hac dialecto, sed ex Homero ipso deprompta sit, qua in re cum Homerica et dialectica notio saepe inter se discrepet, haec notionis differentia ad quaestionem iudicandam adhibenda est.[2]

Vocum autem vere epicarum quaenam quibus eas obsoletas fuisse cognoscatur indicia sint, in universum iudicari non potest, sed e singulorum vocabulorum natura, condicione, usu statuendum est. Attamen haec de ea re praemittenda videntur: si quam vocem in poesi epica obviam posterioribus temporibus poetae tantum iique non solito more praebent, saepe certa quadam ratione licebit iudicare hanc obsoletam fuisse et e cotidiano usu dicendi evanuisse. Sin autem apud scriptores pedestres ea vox legitur, quaestio difficilior et intricatior videtur, utrum fuerit obsoleta an viva. Nam voces epicas etiamsi obsoletas tamquam lumina orationis omnibus temporibus praeter poetas ipsi prosae orationis scriptores intexere solebant, velut praeter Herodotum, Thucydidem, Xenophontem maxime unus omnium Plato; [3] cum igitur Plato utpote scriptor poeticus et

---

[1] Illud genus dicendi a physicis Ionicis conditum et ab Aristotele Polybio, Eratosthene, Strabone excultum, quod dicitur scientificum vel litterarium (wissenschaftlich), quamquam de eius natura non satis quaesitum est, tamen multas dialecti Ionicae proprietates immixtas habere constat.

[2] Non Homerica et obsoleta, ut vulgo putant (cf. Lehrs Ar. 149, v. Wilamowitz Eurip. Herakl. II, p. 262), sed vivi sermonis propria est notio vocabuli ἀγών, ubi idem est quod ἄγυρις, συναγωγή, velut apud Pind. Pyth. 10, 30, Eurip. Heracl. 1229, nam exstat hoc significatu in tit. Teio I. G. A. 497, 31 καθημένου τὠγῶνος, ubi καθημένου non idem esse potest quod καθειμένου, cum καθιεμένου dicendum fuisset.

[3] Cf. Ps. Long. π. ὕψ. XIII, 3 μόνος Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο; . . . πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων, ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ 'κείνου νάματος εἰς αὑτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποχετευσάμενος. καὶ ἴσως ἡμῖν ἀποδείξεων ἔδει, εἰ μὴ τὰ ἐπ' εἴδους καὶ οἱ περὶ Ἀμμώνιον ἐκλέξαντες ἀνέγραψαν; scripsit hic Ammonius Aristarcheus περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου (cf. schol. A ad I 540).

ὁμηρικώτατος multas immisceat sermonis poetici proprietates et praecipue in posterioribus scriptis ascito antiquorum verborum studio indulgeat, eius sermo fere nihil valet ad comprobandum solitum vocabuli usum, nisi alii accedant testes e scriptorum Atticorum numero, qui suo usu pervulgatam vocis cognitionem illustrant. Itaque quascumque voces epicas in prosa oratione exstare invenimus, eas eam ipsam ob causam non obsoletas, sed vivas esse inde iudicare non licebit. Nam Homeri carmina ita in omnium ore fuerunt eorumque verba tam pervulgata erant, ut ultro Homericorum locorum memoria animum subiret et ipsi prosae orationis scriptores voces Homericas quamvis obsoletas, quarum notio eis certa videbatur, usurparent. Itaque inde quod apud scriptores pedestres legitur aliquod verbum epicum, non colligendum est id vivum fuisse in sermone communi, sed tum demum id non intermortuum fuisse iudicabimus, cum saepius exstare et a compluribus scriptoribus nullo imitandi consilio usurpari videbimus; velut ἀτρεκής quamquam est verbum Homericum, tamen eius usus tam frequens est nullo imitandi consilio conspicuo, ut hoc loco praetereundum sit. Qua in re summa cautione opus esse, ne fallamur et labamur, concedendum est.

Sed non ubique quaeri debet, num quod vocabulum obsoletum sit, nam locutiones quasdam invenimus, quae tam aperte morem Homericum imitantur neque dici potuerunt a poetis nisi memoribus locorum Homericorum, ut vel inde appareat has ex Homero delibatas esse, atque si quae interpretum dissensio varietasque sententiarum in iudicandis illis locutionibus Homericis conspicitur, aptissime lyricorum et tragicorum imitationes adhiberi possunt, quibus cognoscatur, cui interpretationi imitatores se applicaverint. In horum locorum numerum referenda sunt Sophoclis κλυτὰ αἰπόλια, εὐρώεις τάφος, Euripidis ὄζος Ἄρηος (Ἀθηνῶν), quae cum sine dubio ex Homericis exemplis non uno modo explicatis κλυτὰ μῆλα, εὐρώεις Ἀΐδης, ὄζος Ἄρηος fluxerint, in censum vocanda sunt, non quod κλυτός, εὐρώεις, ὄζος voces sint obsoletae, quarum cognitionem non aliunde haurire potuerint Sophocles et Euripides, sed quod totam locutionem, cuius de sensu non uno ore iudicant, manifesto ab Homero mutuati sunt.

At non desunt loci qui quamquam nobis Homeri genus dicendi in mentem revocent, tamen adeo aliter comparati sint, ut, si accuratius in eos investigemus, nulla iam videatur intercedere inter poetam epicum et lyricos tragicosque similitudo sententiae, sed verborum tantum, ut ad illam quaestionem, quo sensu intellexerint poetae posteriores voces locutionesque Homericas, nihil omnino valeant. Quamquam enim exempli gratia in Aeschyli verbis Ag. 288 ἄπτερος φάτις putamus latere memoriam et vestigium illius Homerici τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος, tamen Aeschyli verba prorsus aliter comparata sunt, ut non possint adhiberi ad hanc quaestionem illustrandam vel judicandam. Aliter vero res se haberet, si verum esset, quod nonnulli censent, Aeschylum respexisse Homeri locum eandemque vim, quam ibi valere putaret, subiecisse, ita ut in locutione Homerica ἄπτερος acciperet pro ἰσόπτερος vel ὁμόπτερος et in eundem significatum poneret suum ἄπτερος φάτις, ut sit rumor intellegendus valde alatus, alis aequiperandus velocitate, valde celer, velox. Sed re vera ἄπτερος φάτις secundum solitum poetarum usum, qui rumores vagantes cum avibus volantibus comparant, dictum est neque quidquam aliud significare potest quam rumorem implumem, qui nondum volare potest, immaturum, ut Hermannus recte exponit: «Apud Atticorum tragicos sicubi ἄπτερος invenitur, propria significatione nunc non alatum notat, ut in Eum. 51, 250 et in Iph. Taur. 1095, nunc implnmem, ut in Herc. fur. 1039 ὁ δ', ὥς τις ὄρνις ἄπτερον καταστένων ὠδῖνα τέκνων, πρέσβυς ὑστέρῳ ποδὶ πικρὰν διώκων ἤλυσιν πάρεσθ' ὅδε. Et hic quidem locus accommodatissimus est ad tuendam hanc vocem in Agamemnone contra Turnebi coniecturam εὔπτερος. Nam ἄπτερος φάτις est rumor immaturus, cui nondum fides habenda, comparatione ab avibus petita, quibus nondum ad volatum pennis firmatae sunt alae. Non est autem obscurum etiam qui illa voce in contrarium significatum usi videntur re vera non recessisse a proprio. Sunt enim illi Homerum secuti, cui cum ἄπτερος μῦθος dictum significet non avolans, sed sedulo mente custoditum, ἄπτερος, ἀπτέρως, ἀπτερέως de iis rebus dictum est, quae non leviter aut oscitanter, sed sedulo et strenue aguntur.»

Similiter iudicandum videtur de Sophocleo vocabulo ἐπίρροθος.

Cum enim ἐπίρροθος auxiliatricis notione sit vocabulum Homericum, quod Aeschylus quoque in suum usum convertit (Sept. 355 ἐλπίς ἐστι νύκτερον τέλος μολεῖν, παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίρροθον), Sophocles plane alio modo vocem usurpavit Ant. 413 κινῶν ἀνδρ' ἀνὴρ ἐπιρρόθοις κακοῖσιν et fr. 524, 10 αἱ δ' εἰς ἀληθῆ δώμαθ', αἱ δ' ἐπίρροθα (διεμπολώμεθα), ubi est priore loco active obiurgans, convicio strepens, altero passive ignominiosus, convicio dignus. Itaque vix Sophocles in hac voce adhibenda Homerici usus memor fuit, sed etymon et notionem subiecit, quae in ἐπί et ῥόθος[1] usitato valet, unde derivatum ἐπιρροθέω verbum Sophocles ipse simili significatione praeditum exhibet Tr. 264 πολλὰ μὲν λόγοις ἐπερρόθησε i. e. conviciis lacessivit.[2] Vix igitur rationem habebit Homericum et Sophocleum vocabulum inter se comparare et coniungere, quod quidem si audacem a Sophocle admissam translationem sumimus, fortasse eo modo fieri potuit, ut poeta tragicus in Homerico ἐπίρροθος imaginem a maris undis vel ventis navem circumdantibus depromptam inesse opinatus vocabulum ad ἐπιρροθέω referret et principalem notionem strepentis usui Homerico subesse iudicaret. Nam ut maris undae vel venti si e secunda parte ad navem allabuntur, tamquam navis auxiliatores sunt, ita si ex adversa parte advenientes navis cursum retinent, tamquam navi inimici et male strepentes sunt, prout praepositionem ἐπί in bonum aut malum sensum accipimus. Itaque fieri potuerit, ut ἐπίρροθος et auxiliatricis apud Homerum et cum convicio strepentis notionem apud Sophoclem prae se ferret. Quamquam vereor, ne haec explicatio re vera usui Sophoclis non accommodata neve altius repetita sit quam ut putemus Sophoclem tale quid in animo habuisse.[3]

Eas vero voces epicas imprimis accuratius investigandas et examinandas esse putavi, quarum notio dubia sit et variis modis explicari soleat sive a veteribus sive a recentioribus

---

[1] Cf. πολύρροθος Aeschyli, deinde ῥόθιος, ῥοθιάζειν, ῥοθεῖν.

[2] Cf. κακορροθεῖν quod est verbum Euripideum et Aristophaneum.

[3] Forma ἐπιτάρροθος quae sine dubio ad eandem stirpem redit apud Homerum, non legitur apud poetas posteriores, nisi quod semel exstat in oraculo quodam apud Herodotum I, 67 servato et bis in Orphicis oraculorum linguam imitantibus (60, 10; 67, 12).

grammaticis. Atque natura rei ita fert, ut praecipue hac dissertatione de epithetis rebus et personis appositis, quorum de notione epica plurimum dubitatur, disputandum sit. Nam hunc prae ceteris ornatum poeticum poetae posteriores ex Homero sibi petierunt, qua in re maxime consilio nostro favet, quod haec epitheta, quae in poesi epica plerumque iisdem rebus tribuuntur et cum iis quasi coaluisse videntur, ut saepe eam ipsam ob causam de eorum vi haud facile sit diiudicatu, apud imitatores ex aliorum vocabulorum et sententiarum accessione haud raro suam accipiunt lucem et claritatem, qua quae apud epicos obscure et recondita sunt, apud poetas lyricos tragicosque illuminentur atque illustrentur.

Num integrum atque absolutum vocum hic tractandarum indicem confecerim, ipse dubito, sed illa potissimum quae arbitror ad rem illustrandam maxime pertinere vocabula mihi videor proposuisse, quamquam nonnulla fallere atque effugere nos potuisse in tanta materiae copia concedendum est.

Singulas voces per litterarum ordinem digestas exhibebo.

Versuum numeros sequor in poetis lyricis Bergkianos, in Aeschylo Weckleinianos, in Sophocle Dindorfianos, in Euripide et tragicorum fragmentis Nauckianos.

ἄβροτος. Apud Homerum semel legitur Ξ 78 νὺξ ἀβρότη et idem significatur quod verbis νὺξ ἄμβροτος i. e. nox divina. Sed duas interpretationes, quarum utri se addiceret dubitavit Aristarchus, affert schol. A ὅτι ἤτοι κατὰ παράλειψιν τοῦ μ ἀντὶ τοῦ ἀμβρότη, οἷον ἀθάνατος· ἢ ἀβρότη, καθ' ἣν οἱ βροτοὶ οὐ φοιτῶσιν (cf. Lehrs de Arist. st. Hom. p. 153); Apollon. Soph. 2, 30 praefert noctem «hominibus carentem»: οἱ μὲν ἐρήμην βροτῶν φασίν, οἱ δὲ τὴν ἀθάνατον... βέλτιον δὲ τὸ πρότερον. Aeschylus cum Prom. 2 ἄβροτον[1] εἰς ἐρημίαν epitheton noctis Homericum ad desertum transferat, ἄβροτον aperte intellegit «hominibus carentem». Veram huius loci explicandi rationem iam Hermann invenerat, cum haec exponerat, editionis II, p. 56 sq.: Eustath. p. 968, 44 ἔστι δὲ ἀβρότη κατὰ μὲν τὸν κοινὸν ἐν ᾗ βροτὸς οὐ

---

[1] Medicei scripturam ἄβατον interpolatam esse constat.

πρόεισιν· ὅθεν καὶ ἄβροτος φασὶν ἐρημία παρ' Αἰσχύλῳ... Verum esse puto, quod dubitanter suspicabatur Buttmannus in Lexilogo I, p. 135 Aeschylo ἀβρότην νύκτα Homeri visam esse, in qua homines non exirent. Vix enim quisquam ausus esset hoc significatu hoc vocabulum usurpare, nisi id Homerum fecisse a ludi magistris fuisset acceptum.» Haec igitur explicatio Aeschylo nota eiusque aetate pervulgata fuit.[1]

ἀ γ α υ ό ς. Similes interpretationes praebent Apollon. Soph. 7, 2 ἀγαυόν· καλόν, ἐπιφανές, θαυμαστόν· ὁ δὲ Ἀπίων καλός, σεμνός, et Hesych. ἀγαυοί· λαμπροί, φωτεινοί, ἔνδοξοι, ἐπιφανεῖς et λαμπρόν, θαυμαστόν. Ad corporis pulchritudinem refert vocem schol. V ad Λ 1 ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο· φαίνεται ὅτι ⟨μήτηρ⟩ ἡ Τροία καλῶν ἀνδρῶν, sed utrum haec an generis nobilis significatio praeferenda sit, incertum relinquit schol. B ad Ζ 23 ἀγαυοῦ Λαομέδοντος. τῷ γένει ἢ τῷ κάλλει· τὸν γὰρ Λαομέδοντος τρόπον οὐκ ἐπαινεῖ. Hoc epitheton, quod est in poesi epica raro deorum, plerumque heroum, bellatorum, populorum, deinde etiam praeconum, procorum, praedicat praestantiam insignem sive generis sive corporis sive morum. Pindarus et Aeschylus de hominibus genere nobilibus vocem usurpaverunt: Pind. Pyth. IV 72 Πελίαν ἐξ ἀγαυῶν Αἰολιδᾶν θανέμεν i. e. ab uno ex illustri Aeoli progenie, ab Iasone, pronepote Aeoli; fr. 133 βασιλῆες ἀγαυοί (secundum ν 71 πομπῆες ἀγαυοί) i. e. illustres reges; Aesch. Pers. 990 Πέρσαις ἀγαυοῖς κακὰ πρόκακα λέγεις: senes se ipsos ἀγαυούς dicunt i. e. σεμνούς vel nobili genere natos. Cum igitur neque de corporis pulchritudine neque de morum praestantia omnibus his locis agi possit, aptissime ad generis nobilitatem vox refertur, ut sit illustris (erlaucht), atque cum et Pindarus et Aeschylus plane eodem modo hanc solam praebeant notionem, eam praecipue inesse voci illi senserunt. Quod probabiliter coniecit Nauck Eur. Iph. A. 172 Ἀχαιῶν στρατιὰν ὡς ἰδοίμαν ἀγαυῶν (libri Ἀχαιῶν) τε πλάτας ναυσιπόρους ἡμιθέων, hic locus ad insignem bellatorum praestantiam potest spectare, sed alias quoque eorum virtutes

---

[1] Pro Laurentiani Soph. Ant. 1134 ἀμβρότων ἐπέων Turnebus voluit ἀβρότων, sed non est cur a tradita scriptura recedamus.

praedicare.[1] Ceterum ἀγαυός adiectivum quamquam scriptorum sermone non fuit tritum, tamen inter veras γλώσσας non referendum est, cum id eiusdem stirpis cuius ἄγαμαι esse constaret; itaque ἀγαυός fuit θαυμαστὸς εἴτε ἐπὶ κάλλει εἴτε γένει εἴτε τρόποις εἴτε ὅτῳ δήποτε.

ἀγέρωχος. Complures sunt grammaticorum coniecturae de huius vocabuli etymo et vi factae,[2] quo gentes praedicantur in Iliade, ut Troes, Mysi, Rhodii (B 654 in navium catalogo), semel apud Hesiodum fr. 33, 1 unus heros Periclymenus, quem versum Odysseae poeta λ 286 imitatus est,[3] quamquam originatio incerta[4] et notio primaria dubia est, tamen apud Homerum magnifici vel splendidi notionem prae se ferre videtur. Intermortuum fuisse vocabulum posterioribus saeculis inde apparet, quod non legitur ante Polybium, qui unde hanc inflatam vocem deprompserit, dubium est, sed Buttmanno iudice ex Asiaticorum rhetorum disciplina, qui e dialecto aliqua[5] abdita eam delibarent, eius cognitionem et usum hausit, quo pertineat Et. M. 7, 47 adnotatio: ῥητορικὴ ἡ λέξις. Poetarum, qui hanc vocem in suum usum verterunt, alii bonam, alii malam vim ei subiecerunt, si credere licet Eustathio 314, 42 δηλοῖ δέ φασιν ἡ λέξις οὕτως τοὺς σεμνούς, ὡς Ἀλκμὰν βούλεται· Ἀλκαῖος δέ φασι καὶ Ἀρχίλοχος ἀγέρωχον τὸν ἄκοσμον καὶ ἀλζόνα οἶδεν.[6] Apud Pindarum autem hoc adiectivum in bonam partem positam esse facile intellegitur ex omnibus tribus exemplis, quibus exstat: Olymp. X 79 χάριν νίκας ἀγερώχου: vix aliter explicare licet nisi honorificum vel magnificum, eodemque modo Pyth. I 50 πλούτου στεφάνωμ' ἀγέρωχον i. e. divitiarum coronamentum honorificum, et Nem. VI 33 παρέχειν πολὺν ὕμνον ἀγερώχων ἐργμάτων ἕνεκεν i. e. ob

---

[1] Bergkii coniectura Pind. Pyth. VIII 100 κἀγαυῷ pro κἀγαθῷ (libri vett. καὶ ἀγαθῷ) Τελαμῶνι non necessaria est.

[2] Cf. Et. M. 7, 47.

[3] Cf. v. Wilamowitz Homer Unters. p. 147 sq.

[4] Apud Homerum fortasse ἀγεροκχων sive ἀγερόχων fuit, cf. ὄφις et ὄπφις, ὀχεῖσθαι et ὀκχεῖσθαι.

[5] Multo verisimilius ex Homero ipso.

[6] Exstat hoc adiectivum in carmine mutilo C. I. A. I 353.

nobilia facinora. Haec igitur significatio certa est apud Pindarum. Num de origine vocabuli ille cogitaverit, dubium est; sed cum Olymp. X 79 νίκας ἀγερώχου legatur, facile suspiceris Pindarum a γέρας substantivo et ἔχω deduxisse hoc verbum, ita ut sit ἀγέρωχος proprie qui magnos honores vel decus vel dignitatem habeat. Hoc inde concludi potest, quod Pindarus crebro victoriae praemium vel victoriam ipsam γέρας vocat, velut Olymp. II 49 Ὀλυμπίᾳ μὲν γὰρ αὐτὸς γέρας ἔδεκτο, Pyth. V 124 εὔχομαί νιν Ὀλυμπίᾳ τοῦτο δόμεν γέρας ἐπὶ Βάττου γένει, Isthm. I 14 ἐγὼ Ἡροδότῳ τεύχων τὸ μὲν ἅρματι τεθρίππῳ γέρας. Hanc etymologiam et notionem Pindaricam e locis Homericis effici potuisse negari nequit.

ἀδινός. Diversissimas huius adiectivi derivationes et explicationes exhibent veteres Homeri interpretes, quas omnes coniunctas praebet Eust. 178, 27 τὸ ἀδινὸν ἤγουν τὸ ἀθρόον... καὶ τὸ οἰκτρόν... καὶ τὸ ἀδὺ ἤγουν ἡδύ... καὶ τὸ πυκνὸν καὶ ἰσχυρόν...; κατὰ δέ τινας καὶ τὸ ἠρέμα, quae omnia ad singulos Homeri locos interpretandos excogitata sunt; praeterea explicant ἁπαλός (Hesych.), λεπτός, ἀσθενής, δαφιλής (schol. B ad Σ 316). Omnia Homeri exempla ad communem et principalem densi notionem referenda sunt (cf. Buttmann Lexil. I 205 sq.), quo proprio significatu vocabulum exstat in ἀδινὸν κῆρ, μελισσάων (μυιάων) ἀδινάων, μῆλ' ἀδινά, translate cum locutionibus ad luctum et fletum spectantibus coniungitur, quales sunt γόος, γοᾶν, στεναχίζειν, στοναχῆσαι, κλαίειν, ubi semper vehementia, gravitas, pondus gemitus fletusque indicatur (quod nos dicimus «intensiv»), deinde usurpatur in re laeta, ubi similiter vocis claritas exprimitur, velut κ 413 ἀδινὸν μυκώμεναι, ψ 326 Σειρηνάων ἀδινάων (a poeta novicio secundum δ 721 ἀδινὸν γοόωσα et similia), h. Cer. 67 ἀδινὴν ὄπα (quod quidem de Proserpinae voce dictum etiam luctuosam significare potest). Pindarus et Sophocles singula praebent exempla, quibus densi vis dilucide agnoscitur: Pind. Pyth. II 53 ἐμὲ δὲ χρεὼν φεύγειν δάκος ἀδινὸν κακαγοριᾶν, ubi nihil aliud quam morsus vehemens, acutus significari potest, ut iam Buttmann recte interpretatur: «Pindar... meint offenbar den heftigen, tief eindringenden Biss der Lästerungen.» Huic usui densi notionem subesse necesse est. Soph. Tr. 847

ἀδινῶν δακρύων: his verbis Homericam locutionem ἀδινὸς γόος vel similia exprimi certum est, ita ut intellegendae sint lacrimae vehementer effusae et eodem modo quo apud Homerum pondus et gravitas gemitus praedicetur. Apparet igitur Pindarum et Sophoclem densi notionem clare sensisse atque in suis exemplis retinuisse.

αἰανής. Forma αἰανός, quae passim in codicibus et apud complures lexicographos exstat, nihil est nisi commentum Byzantinum, de quo dixit Nauck Mél. Gr. Rom. vol. II, p. 441 sq. et conferas Pind. Pyth. I 83, ubi codd. αἰανής, Triclin. αἰανός scribit. Hanc vocem, quae non legitur apud Homerum et Hesiodum, primus Archilochus in iambis praebet fr. 38, qui unde exprompserit eam quamquam incertum est, tamen vix aliunde haurire potuit nisi aut e poesi epica aut e dialecto Ionica. Sed cum nusquam in dialecto Ionica neque apud Herodotum neque apud Hippocratem neque in inscriptionibus legatur, verisimillimum videtur Archilochum e sermone epico eam adsumpsisse. Neque alio e fonte poetarum posteriorum, qui hanc vocem praebent, usus fluxisse videtur. In duas partes secedunt grammatici hanc vocem aut ex αἰαῖ vel αἰάζω aut ex αἰεί natam esse exponentes. Unam interpretationem sequitur Hesych. αἰανόν· χαλεπόν, αἰνόν· sed duas explicationes exhibet schol. ad Pind. Isthm. I 49 λιμὸν αἰανῆ· αἰανῆ δὲ οἱ μὲν τὴν χαλεπήν. παρὰ τὸ αἶ αἶ· οἱ δὲ τὸν διηνεκῆ λιμὸν παρὰ τὸ αἰέν. Pristinam innatamque vocis notionem horrendi fuisse e poetarum usu patet. Nam plurimis locis haec significatio statuenda est, ita ut ex αἰαῖ interiectione verbi originem deduxerint poetae. Cuius usus exempla haec sunt: Archil. fr. 38 προὔθηκε παισὶ δεῖπνον αἰηνὲς φέρων. ubi Etymologus M. (32, 26) explicat τὸ δεινὸν καὶ πολύστονον· Pind. Pyth. IV 236 ἐμβάλλων τ' ἐριπλεύρῳ φυᾷ κέντρον αἰανές· Pyth. I 83 ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει αἰανὴς ταχείας ἐλπίδας i. e. fastidium grave; Isthm. III 2 κατέχει φρασὶν αἰανῆ κόρον i. e. fastum molestum vel funestum; Isthm. I 49 γαστρὶ δὲ πᾶς τις ἀμύνων λιμὸν αἰανῆ τέταται: eadem miseri vel molesti significatio valet quae in prioribus Pindari exemplis, et scholiastae altera sempiternae famis explicatio supra allata sine dubio falsa est; Aesch. Pers. 640 αἰανῆ δύσθροα βάγματα. ib. 943 αἰανῆ πάνδυρτον

δύσθροον αὐδάν: utroque loco de Persarum effuso et miserabili gemitu et eiulatu; atque quod de iisdem barbarorum querelis *δυσαιανής* legitur Pers. 284

> ἴυξ' ἄποτμον βοὰν
> δυσαιανῆ Πέρσαις
> δαΐοις, ὡς πάντα παγκάκως
> ἔθεσαν. αἰαῖ στρατοῦ φθαρέντος,

ipsum *αἰαῖ* vocabuli derivationem et significationem indicat, quae unde quoque pro certa habenda est, quod adiectivum temporale, quod est *αἰανής* perpetuitatis notione praeditum, δυς- antefixum non patitur; Soph. El. 506 ἱππεία ὡς ἔμολες αἰανὴς τᾷδε γᾷ: cum de scelere, quo Myrtilum Pelops in mare deiecit, dicatur, luctuosi vel calamitosi vim statuendam esse facile perspicitur neque aliter interpretari licet Ai. 672 *νυκτὸς αἰανὴς κύκλος*: alii qui perpetuitatis notione probata de perpetua noctis vertentis rota sive conversione vocem intellegunt, non audiendi sunt. Nam ex ipsius loci sensu adiectivi vis clare elucet, cum ut in praecedentibus (v. 671) νιφοστιβεῖς χειμῶνες verbis εὐκάρπῳ θέρει, ita deinceps *νυκτὸς αἰανὴς κύκλος* contrario nomine opponatur τῇ λευκοπώλῳ ἡμέρᾳ; ergo *νυκτὸς αἰανὴς κύκλος*, quod opponitur luci clarae, nihil aliud nisi horrendam vel funestam noctem significare potest. Itaque qui noctis sempiternae cursum interpretantur, illam verborum oppositionem, quae in *αἰανής* et λευκόπωλος conspicitur et certam funesti significationem indicat, plane neglegunt. Ceterum enallage quaedam epitheti *αἰανής* rectius nocti accommodandi hoc loco statuenda est. Alterius perpetui notionis Aeschylus solus exempla praebet, quae omnia in Eumenidum fabula exstant: Eum. 575 εἰς τὸν αἰανῆ χρόνον, ib. 675 καὶ τάδ' αἰανῶς μένοι, ubi nihil aliud nisi ἀδιάλειπτος vocem valere apparet. In ceteris Eumenidum locis mira est inter interpretes dissensio, sed eandem perpetui significationem illis quoque exemplis convenire atque desiderari persuasum habeo. Primum agam de Eum. 419 ἡμεῖς γάρ ἐσμεν Νυκτὸς αἰανῆ τέκνα: plerique interpretes Noctis filias graves intellegi volunt, sed cum in exemplis, quae supra ex Eumenidibus attulimus, indubitata perpetuitatis notio appareat, eandem hic quoque praeferendam esse probabili ratione demonstrari posse confido. Nam

cum Minerva interrogante, quaenam sint, Eumenides se ipsas Νυκτὸς αἰανῆ τέκνα nullo additamento facto nominent, epitheto αἰανής necesse est ea Eumenidum potissimum virtus illustretur, quae propria eis et singularis sit. Itaque quaerendum est, utrum notio ἀδιάλειπτος an δεινός, χαλεπός Eumenidibus accommodatior sit. Illam puto multo magis eo commendari, quod ut αἰανής horrendi notione praeditum nimis generaliter dictum est quam ut ullam Eumenidum proprietatem praedicet, ita definitio ἀδιάλειπτος vel ἀειγενέτης vel ἀθάνατος furiarum aeternam vim et divinam naturam luculenter notat. Porro ut Eumenidibus ipsis epitheton αἰανής inditur, ita duobus locis pestis, quae ab iis importata terrae humanae accidere potest, αἰανής vocatur: Eum. 482 ἄφερτος αἰανὴς νόσος, ib. 943 μηδ' ἄκαρπος αἰανὴς ἐφερπέτω νόσος, atque eaedem fere causae et argumenta, quae illuc (Eum. 419) cadunt et aeterni notionem commendant, hic repetendae sunt. Cum altero loco (Eum. 482) Minerva se terrore affectam esse dicat, ne Eumenides, nisi iis nos gereretur, per sanguinem in terram profusum aeternam pestem in Athenas machinaturae essent, altero loco (Eum. 943) virgines placatae se nunquam hoc facturas esse profitentur. Utroque loco interpretationem ἀδιάλειπτος si non desideretur, attamen certe multo sensui aptiorem et accommodatiorem esse quam quae δεινός vel χαλεπός explicet facile intellegitur. Sed qui aliter sentiunt et ut supra Eumenides horrendas, sic horum utroque loco morbum gravem praeferunt, redargui non possunt. Aeschylus igitur cum in priore Persarum fabula illum pervulgatum vocis usum retinuisset, in posteriore Eumenidum meliora, ut sibi videbatur, edoctus sententiam mutavit, ita ut etymo αἰεί subiecto perpetuitatis notionem voci tribueret. Ut postremo complectar disputationis argumentum, demonstrasse mihi videor propriam innatamque vocabuli αἰανής significationem horrendi miserique fuisse, quam omnes ubique praeter Aeschylum secuti sint, hunc autem duas admisisse notiones, quarum altera nota in Persis invenitur, altera fortasse ab Aeschylo ipso ficta in Eumenidibus exstat. Itaque nihil commune vel affine has duas notiones inter se habere, sed plane diversas esse atque Hermannum errasse puto, qui alteram ex altera deducit et vocis originem notionemque, qualis exstat apud poetas, sic circumscribit: «quod (scil. αἰανής),

nisi fallor, ab ἀεί ductum primo diuturnum, deinde diuturnitate molestum et grave ideoque taedii plenum significabat.»[1]

αἰγίλιψ. Veteres grammatici de origine et vi huius vocabuli rupi appositi, cuius altitudinem notat, inter se consentiunt, nam uno ore ex αἴξ et λείπω compositum esse iudicant, velut Suid. I 2, 12 αἰγίλιψ᾽... σημαίνει δὲ καὶ πέτραν ὑψηλήν. Ὅμηρος «ἧτε κατ᾽ αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.» ὥστε ὑπὸ τοῦ ὕψους καὶ τὰς αἶγας λείπεσθαι αὐτῆς ἐπιβαίνειν. Neque aliam explicationem Aeschylum novisse docet unus ubi vocabulo obsoleto ille utitur locus Suppl. 802 λισσάς αἰγίλιψ ἀπρόσδεικτος οἰόφρων κρεμὰς γυπιὰς πέτρα: Danaides rupem desertam et praecipitem petere cupiunt, quo plurima epitheta rupi addita spectant atque optime αἰγίλιψ eis quae secuntur ἀπρόσδεικτος et οἰόφρων explicatur, ita ut sit desertus, solitarius, altissimus. Deinde cum eandem rupem vocet γυπιάς i. e. vulturibus frequentatam, hoc epitheton γυπιάς ipsum indicare videtur αἰγίλιψ πέτρα optime apud Aeschylum verti per «rupes, quae a capris relinquitur propter altitudinem», ita ut acumen vel oppositio quaedam in αἰγίλιψ et γυπιάς cernatur, cum Danaides rupem sibi expectant, in qua ne caprae quidem, sed vultures soli versentur. Ergo per αἰγίλιψ apud Aeschylum rupis altitudo notatur.

ἀίδηλος. Complures huius vocis interpretationes novimus, praecipue ex Et. M. 41, 32 ἀίδηλον· ἀφανιστικόν... ἢ βίαιον, στυγνόν, καὶ πολὺ καὶ μέγα, καὶ φορτικόν, ib. 41, 35 ἀίδηλος· ὁ ὀλεθρευτικός· οὐ γὰρ ἄξιος Ἀριστόνικος δηλοῦν λέγων τὸν ἀδηλοποιόν· καὶ παρὰ τῷ ποιητῇ, ἀίδηλον Ἄρηα, τὸν ὀλέθριον ἢ αὐτὸς ἀίδηλος ἐσόμενος, praeterea Hesych. ἀίδηλον· ἀφανές, et schol. B Q V (Aristonicus) ad φ 303 μνηστήρων ἀίδηλον ὅμιλον· τὸν ἀδηλοποιὸν καὶ πάντα φθείροντα, V ἢ τὸν τοῦ φθαρῆναι καὶ ἀπολέσθαι αἴτιον,

---

[1] Alteram vocabuli partem verbalem esse necesse est, cum sit Ionicum αἰηνής; an deducenda ab ἄνω = ἀνύω? Lycophro qui e poetis Alexandrinis solus hoc adiectivum usurpat 928 αἰανῆ θεὸν λοιβαῖσι κυδανοῦσι καὶ θύσθλοις βοῶν cum non notam et usitatam miseri, sed alteram raram et abditam aeterni notionem imponat voci, tragicos, ut solet, sequitur atque hoc loco Aeschyli interpretationem amplectitur.

schol. Q ad χ 165 ἀίδηλος ἀνήρ· ὀλέθρου ἄξιος. Homerus ἀίδηλον vocat ignem, Martem, Minervam, cum conviciis eam obruit Mars, procos, Melanthium, caedem ab Achille factam (adverbialiter), praeterea legitur E 757, 872 ἔργ' ἀίδηλα, ubi Aristarchus καρτερὰ ἔργα, neque quidquam aliud valet vox nisi perniciosus. Sed alia obscuri, ignoti, arcani notio statuenda videtur Hes. op. 756 μηδ' ἱεροῖσιν ἐπ' αἰθομένοισι κυρήσας μωμεύειν ἀίδηλα, si quidem integra verba sunt, atque eadem Buttmanno iudice latet Hes. fr. 148 ἔργ' ἀίδηλα (cf. Buttmann Lexil. I p. 247 sq). Apud Tyrtaeum hoc adiectivum occurrit plane Homerico more usurpatum fr. 11, 7 ἴστε γὰρ Ἄρηος πολυδακρύου ἔργ' ἀίδηλα; quod cum de Martis facinoribus dictum sit, perniciosi significatio aptissima est. Sophocles uno loco hoc vocabulo usus est Ai. 608 τὸν ἀπότροπον ἀίδηλον Ἅιδαν. Quod coniungit inter se tragicus ἀίδηλος et Ἅιδης (Ἀΐδης), sine dubio studio cuidam etymologico indulget, ita ut ad unam eandemque radicem utrumque nomen revocaverit, quae vix alia esse potest quam ἰδ = videre. Haec etymologia, quae ἀίδηλος ab Ἀΐδης derivat, certo antiqua et Sophocli nota fuit.[1] Inde efficitur ἀίδηλα a poetis omnia ea appellari, quae ad Ἅιδην aliquo modo pertineant. Sed num singulis locis certam tribuerint notionem epitheto, dubium videtur. Attamen Sophoclis loco si certam eruendam esse significationem putamus, duae interpretandi rationes adhiberi possunt: ἀίδηλος aut idem est quod ἀφανιστικός vel ἀδηλοποιός i. e. perniciosus, ut ab Homero ἀίδηλος dicitur ignis, Mars, procorum caterva, aut significat ἀφανής i. e. tenebricosus vel obscurus, cuius significationis apud Homerum exemplum non exstat. Scholiasta posteriorem interpretationis rationem sequitur: ἀίδηλον δὲ Ἅιδην λέγει τὸν σκοτεινόν, ὥσπερ ἂν τις εἴποι ἁλυκὸν ἅλα· ἀπὸ γὰρ τοῦ ἀίδης γίνεται τὸ ἀίδηλον κατὰ παραγωγήν, καθ' ὃν τρόπον ἁλυκὸν ἀπὸ τοῦ ἁλός. Scholiasta igitur non activam vim ἀφανιστικόν vel ἀδηλοποιόν verbo ἀίδηλον tribuit, sed passive dictum esse iudicat, ita ut Orcus significetur, in quo cernendi facultas non sit, qui obscurus sit. Quam interpretationem quam-

---

[1] Similiter Ἅιδης nomini τὸ ἀειδές inesse Plato iudicavit Cratyl. 403 a ὁ δὲ Ἅιδης, οἱ πολλοὶ μέν μοι δοκοῦσιν ὑπολαμβάνειν τὸ ἀειδὲς προσειρῆσθαι τῷ ὀνόματι τούτῳ.

quam non est cur e loci natura et sententia improbabilem dicamus, praesertim cum consideremus Orcum apud Sophoclem aliis locis epitheta μέλας vel ἔννυχος accipere, ut O. R. 29 et Tr. 501, tamen fortasse altera verisimilior est. Nam si Sophocles Homerum secutus eiusque exempla ἀίδηλον Ἄρηα, πῦρ ἀίδηλον, μνηστήρων ἀίδηλον ὅμιλον imitatus posuit ἀίδηλον Ἅιδαν, non potuit hanc obscuri vim verbo imponere, quae a locis Homericis plane aliena sit neque ullo modo ex iis profluxisse possit. Itaque si Sophocles Homeri locos respexit et sua imitatione expressit, quod probabile, sed non certum est, fieri non potest, quin eam vim imitationi suae adhibuerit, quae Homeri quoque locis apta sit neque alia esse possit nisi ἀφανιστικός, ἀδηλοποιός, perniciosus, quod optime adiungitur epitheto ἀπότροπον i. e. abominandum.[1]

αἱμύλος. Forma Homerica est αἱμύλιος, quae semel occurrit α 56, sed Hesiodus praeter hanc αἱμύλος praebet op. 374 αἱμύλα κωτίλλουσα (inde hymn. Merc. 13 αἱμυλομήτης), qua sunt sola usi Pindarus et poetae tragici. Ex Atticis nemo praeter Platonem hanc vocem in prosa oratione in suum usum convertit. Duplicem significatum grammatici voci imponunt, alterum quo sententia in bonam, alterum, quo in malam partem vertitur. Illum tantum explanat Hesych. αἱμύλα· προσηνῆ· αἱμυλίοις· συνετοῖς, καὶ προσηνέσιν· αἱμύλος· ἀστεῖος, συνετός, ὀξὺς ἐν τῷ λέγειν, sed duos affert schol. V ad α 56[2] αἱμυλίοισι λόγοισι· παραλογιστικοῖς ἢ εὐνοϊκοῖς καὶ οἷον συγγενικοῖς,[3] (ἢ) τοῖς μετ' ἐμπειρίας συνετοῖς καὶ προσηνέσιν. Scholiasta igitur dubitat, utrum παραλογιστικοῖς i. e. fallacibus an εὐνοϊκοῖς i. e. benevolis vel blandis interpretetur. Est vox media in poesi epica, ut sit et blandus et callidus et dolosus. Haec vocis mediae natura in posterioribus quoque poetis conspicitur. Si neglegimus verba Theogn. 704 αἱμυλίοισι λόγοις, quae plane morem Homericum imitantur, primus est locus Pind. Nem. VIII 33 ἐχθρὰ δ' ἄρα πάρφασις ἦν

---

1 Homerici usus imitatio exstat ep. gr. 240, 5 (Kaibel) ἀίδαλος Τύχα.

2 Carmen est recentissimum, ut docet vocabulum λόγος, cf. Wilamowitz Hom. Unters. p. 20.

3 i. e. etymologice ab αἷμα.

καὶ πάλαι, αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος: opponuntur inter se atque componuntur ἐχθρός et αἱμύλος, nam inimica calumnia blandis, sed eisdem dolosis verbis utitur. Aeschylus unum exemplum praebet Pr. 222 αἱμύλας δὲ μηχανὰς ἀτιμάσαντες καρτεροῖς φρονήμασιν ᾤοντ' ἀμοχθί πρὸς βίαν τε δεσπόσειν: vi opponitur consilium, ut sit αἱμύλος hoc loco prudens vel callidus. Sophocles et Euripides de Ulixe posuerunt vocabulum, ut tamquam eius proprium cognomentum appareat, quod imprimis elucet ex Eur. fr. 715 οὐ τἄρ' Ὀδυσσεύς ἐστιν αἱμύλος μόνος· cetera exempla de Ulixe posita haec sunt: Soph. Ai. 387 τὸν αἱμυλώτατον, ἐχθρὸν ἄλημα... ὀλέσσας: de Ulixe homine sibi inimicissimo et malarum fraudum peritissimo Aiax hoc dicit; Eur. Rhes. 498 ἔστι δ' αἱμυλώτατον κρότημ' Ὀδυσσεύς i. e. dolosus; ib. 709 μὴ κλωπὸς αἴνει φωτὸς αἱμύλον δόρυ: translatum ad eius hastam. Hoc epitheton Ulixem callidum et dolosum denotat.[1] Apparet igitur vocem apud poetas lyricos et tragicos mediae vocis vim servasse, postremo autem eius usum utpote vocis intermortuae intra tam angustos fines se continuisse, ut Sophocles maximeque Euripides Ulixi fere soli hoc epitheton inderent, nisi forte iam in carmine quo epico hoc factum esse sumimus.

ἀλφεσίβοιος. Quid hoc epitheto in poesi epica (Σ 593, h. Ven. 119) virginibus tributo significetur, apertum est. Ille quidem locus Iliadis Σ 593 de vi vocabuli nihil nos docere potest, cum poetam vocem nulla certa vi subiecta e priore poesi epica deprompsisse pateat; sed etymologia manifesta est, ut de notione dubitari nequeat. Vox ex ἀλφεῖν et βοῦς composita significat virginem, quae ob pulchritudinem multos boves patri comparat, multo pretio emitur. Apollon. Soph. 23, 32 ἀλφεσίβοιαι· ἀλφαίνουσαι βόας, τουτέστιν ἀναλαμβάνουσαι· οἱ γὰρ γαμοῦντες ἐδί-

[1] Non recte apud Nauckium inter Sophoclis fragmenta legitur 1015 αἱμύλος ἔρως, nam nihil aliud grammaticus ille testatur quam αἱμύλος esse idem quod κόλαξ, quapropter Platonem αἱμύλον ἔρωτα dixisse (Leg. VII p. 823 e) eandemque esse huius adiectivi significationem apud Sophoclem Deinde femininam quoque formam αἱμύλη ex Euripide affert (fr 1095), cuius usus exemplum ex Aeschylo quoque (Pr. 222) potuit exhiberi.

δοσαν ταῖς γαμουμέναις βόας καὶ τὰ ὅμοια, μήπω νομίσματος εὑρημένου· «ἔνθα μὲν ἠΐθεος καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι.» Aeschylus Nili aquam sic appellat Suppl. 867 ἀλφεσίβοιον ὕδωρ. Qui usus docet tragicum eam interpretationem, quae in voce ipsa posita fuit vel fuisse videbatur, novisse et epitheton aptius usurpasse quam poetam epicum. Aeschylus enim vocem non transtulit ad novam, sed potius revocavit ad propriam innatamque significationem; nam plane propria vi, quae in exemplo Homerico paene evanuit, adhibita est vox ab Aeschylo. Ut enim filia ob pulchritudinem patri, ita Nili aqua ob pinguedinem accolis comparat augetque boves atque eo quidem modo, ut prata quae alunt boves inundet. Est igitur ἀλφεσίβοιος apud Aeschylum, ut apud Homerum, boves comparans, augens, sed usum tragicum satis notabilem et singularem agnoscendum esse puto.

ἀλφηστής. De hoc vocabulo, quod in sola Odyssea et apud Hesiodum legitur, explicando neque inter antiquiores grammaticos neque inter recentiores consensus est. Complures affert definitiones Hesych. ἀλφηστῇσιν· τοῖς εὑρετικοῖς, καὶ συνετοῖς, et ἀλφησταί· ἀμειπταί, ἔντιμοι. Omnibus Homeri et Hesiodi locis cum ἀνήρ coniunctum legitur et hodie ambigitur a viris doctis, utrum ab ἄλφι et ἔδω derivandum valeat qui pane vescitur an ad ἀλφάνω referendum significet industrium vel qui industria pretium et divitias sibi paret, quamquam hoc verisimilius videtur. Huius vocis singula tantum exempla apud Aeschylum et Sophoclem inveniuntur, in quibus haec duplex interpretatio clare cernitur, nam aliter Aeschylus, aliter Sophocles eam in suum usum convertit. Quo sensu ab Aeschylo dictum sit ἀλφησταί Sept. 755 πρόπρεμνα δ' ἐκβολὰν φέρει ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν ὄλβος ἄγαν παχυνθείς, totius loci conexu docemur. Nam eximia Buecheleri emendatione v. 753 πενομένους pro codicum πέλομεν' οὐ vel τέλομεν' οὐ accepta dubium esse non potest, quin opponantur inter se πενόμενοι et ἄνδρες ἀλφησταί i. e. homines inopes et divitiis honoribusque florentes, quorum posteriorum in numerum Oedipum quondam, cum rex Thebarum factus esset, relatum esse versibus insequentibus 756—762 illustratur. Itaque ἀλφηστής apud Aeschylum est ἔντιμος vel πλούσιος, ut vult schol. O. Alia loci Sophoclei Ph. 709 condicio est, ubi haec exstant: οὐ φορβὰν ἱερᾶς γᾶς

σπόρον, οὐκ ἄλλων αἴρων τῶν νεμόμεσθ' ἀνέρες ἀλφησταί, πλὴν ἐξ ὠκυβόλων εἴ ποτε τόξων πτανοῖς ἰοῖς ἀνύσειε γαστρὶ φορβάν. Queritur enim chorus, quod Philoctetes morbi gravitate et loci solitudine prohibitus neque terrae fruges alimentum capere possit neque quicquam aliarum rerum, quas νέμομεσθ' ἀνέρες ἀλφησταί i. e. quas nobis capere licet, non divitibus hominibus, sed qui solita ratione ἄλφιτα ἔδομεν. Itaque opponuntur inter se ἀνέρες ἀλφησταί i. e. homines, qui pane vescuntur, et Philoctetes, qui omnibus opibus destitutus ex arcus tantum usu ferarum exiguum cibum sibi expedit. Itaque discrepant inter se Aeschylus et Sophocles, et apparet etiam doctos illius aetatis grammaticos dissensisse inter se.

ἀμαιμάκετος. Hanc vocem plane obscuram, qua ab Homero Chimaera et navis malus, ab Hesiodo ignis et mare notantur, explanat Et. M. 76, 8 ἀμαιμάκετος· ὁ μακρός· Ὅμηρος, ἱστὸν ἀμαιμάκετον... καὶ ὑπερφυής· τὸ δὲ, πνείουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ, παρὰ τὸ μαιμῶ, μαίμακα· Χίμαιραν ἀμαιμακέτην, ἄμαχον, ἀκαταγώνιστον, φοβεράν, ἀνυπόστατον· ἢ ἀπροσμάχητον, καὶ μεγάλην. Apud Homerum et Hesiodum indomitus et ingens significatur neque aliter posteriores poetae vocem usurpant, ita tamen ut rebus et personis quas quam maximas robore, vehementia, magnitudine depingere studeant hoc epitheton tribuant, quod quamquam plane obsoletum et vix certa aliqua vi positum tamen sonitum effecerit lyricis Pindari modis et tragicorum cothurno aptum. Pindarus maxime hac voce delectatus est: Isthm. VIII 37 κεραυνοῦ τε κρέσσον ἄλλο βέλος διώξει χερὶ τριόδοντος τ' ἀμαιμακέτου i. e. ingentis tridentis; Pyth. III 33 κασιγνήταν μένει θύοισαν ἀμαιμακέτῳ i. e. robore ingenti; Pyth. I 14 γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμάκετον; Pyth. IV 208 συνδρόμων κινηθμὸν ἀμαιμάκετον ἐκφυγεῖν πετρᾶν. Sophocles plane usum epicum expressit: O. R. 177 κρεῖσσον ἀμαιμακέτου πυρός, ubi ἀμαιμάκετον πῦρ e Theog. 319 hausit; O. C. 127 τάνδ' ἀμαιμακετᾶν κορᾶν: secundum Homeri Χίμαιρα ἀμαιμακέτη dictum est. Si certam putemus exemplis Sophocleis notionem subesse, vix alia esse possit quam inexpugnabilis. Sed num omnino de certa vi cogitaverint poetae dubium videtur.[1]

[1] A μαιμάω (*μαιμάσσω), Μαιμακτηριών (Ζεὺς Μαιμακτήρ) poetae vocem non deduxisse videntur.

ἀμενηνός. De hoc verbo explicando dissentiunt grammatici. Et. M. 81, 55 ἀμενηνός· παρὰ τὸ μένος ἄμενος, καὶ πλεονασμῷ τῆς νη συλλαβῆς ἀμενηνός· ἢ παρὰ τὸ μένω μενηνὸς, ὡς πέτω πετηνός· καὶ ἀμενηνός, ὁ ἀσθενής, λεπτός, μάταιος. Duplex igitur grammaticorum interpretatio est, altera, quae ad μένω relata fugacem vel fugientem explicat, altera quae verbum a μένος derivans infirmum vel invalidum intellegit. Apud Homerum hanc vocem infirmum significare et a μένος deducendam esse apparet ex E 887 ἤ κε ζὼς ἀμενηνὸς ἔα, et e derivati ἀμενηνόω usu N 562 ἀμενήνωσεν δέ οἱ αἰχμήν, atque eadem vis cadit in νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα et ἀμενηνὰ ὄνειρα Odysseae. ubi mortui et somnia notantur, quibus vis non insit, denique in hymnos Homericos: h. Ven. 188 μή με ζῶντ' ἀμενηνὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἐάσῃς ναίειν, ubi opponitur v. 189 βιοθάλμιος ἀνήρ i. e. vigens; h. Cer. 352 φῦλ' ἀμενηνὰ χαμαιγενέων ἀνθρώπων. Vox quamquam in Hippocratis scriptis legitur, tamen poetae tragici potius ex Homero hausisse videntur. Nam expressis verbis pro Homerica accipit eam Aristophanes fr. 222 τί καλοῦσ' ἀμενηνὰ κάρηνα, atque in Euripidis exemplo Tro. 193 νεκύων ἀμενηνὸν ἄγαλμ' imitatio Homerica tam manifesta est, ut unde deprompserit vocabulum Euripides incertum esse non possit. Accedit, quod Ionici infirmum, debilem hac voce denotant (cf. Hippocr. p. 109 b ἰσχνοῖσι τε ἐοῦσι καὶ ἀμενηνοῖσι), Sophocles vero alteram fugientis vim subiecisse videtur in uno exemplo quod exstat Ai. 890 ἀλλ' ἀμενηνὸν ἄνδρα μὴ λεύσσειν ὅπου, schol. ἀλλ' ἀμενηνόν· ἐφ' ἑαυτοῦ, οὐκ ἐπὶ τοῦ Αἴαντος· σχέτλια ἂν εἴη μὴ ἐπιτετυχηκέναι αὐτῷ, ἀλλ' ἠσθενηκέναι με τῇ ῥήσει: quam interpretationem improbandam esse omnes consentiunt, nam non ad chorum ἀμενηνόν referendum est, quae structura, cum adiectivum ἀμενηνόν longa serie verborum a pronomine μέ praegresso seiunctum sit, durissima et ab recto dicendi genere plane aliena esset. Quapropter dubitare non licet, quin ἀμενηνόν ad Aiacem pertineat. Hermann virum morbo debilitatum interpretatur notionem infirmitatis in ἀμενηνός apud Sophoclem inesse opinatus. Sed cum Aiax e morbo recreatus et refectus sit, de morbo hoc loco sermo esse non potest, immo de viro multivago et fugaci, quem chorus paulo ante v. 886 πλαζόμενον appellaverat, dici totius loci conexu apparet. Cum enim Aiax e tentorio clam discessisset eumque chorus

frustra quaesivisset, aptissime Aiax fugax et multivagus appellatur. Ergo non ad μένος, sed ad μένω rettulit vocabulum Sophocles. In Euripidis exemplo de Hecuba anu posito Tro. 193 νεκύων ἀμενηνὸν ἄγαλμ' quippe quod nihil sit quam aperta imitatio Homerici νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα, difficile est diiudicare, quam subiecerit notionem, cum et infirmi et fugientis notio loco inesse possit. Cum autem apud eundem poetam simili loco Suppl. 1116 γραίας ἀμενοῦς de Iphide anu legatur adiectivum ἀμενής, haud dubie utrique adiectivo eadem significatio subest. Quam notionem voci insolitae ἀμενής imposuerit, poeta ipse consulto disertis verbis indicat, cum addat Suppl. 1116 οὐ γὰρ ἔνεστιν ῥώμη παίδων ὑπὸ πένθους. Itaque cum utroque loco de anu agatur atque alteri epitheton ἀμενηνός, alteri ἀμενής tribuatur, denique huic cognomento a poeta ipso explicatio apponatur, cum utrumque vocabulum idem significare, tum interpretationem infirmi solam esse admittendam apud Euripidem perspicuum est. Intellegitur igitur bifariam derivatam et explicatam esse vocem ἀμενηνός, ita ut modo pro infirmo, modo pro fugiente acciperent eam poetae.

ἀμολγός. De hoc vocabulo magna est hominum doctorum dissensio, quorum alii tempora post occasum solis et ante ortum, alii mediae noctis tetras tenebras significari arbitrantur. Varias explicationes afferunt veteres velut Et. M. 84, 53 νυκτὸς ἀμολγῷ· τῆς ἑσπέρας, ἢ τῷ μεσονυκτίῳ, καθ' ὃ οὐκ ἀμέλγουσιν· ἑσπέρας γὰρ καὶ ἡμέρας εἰώθασι τοῦτο ποιεῖν· ἢ ἐν καιρῷ, ἐν ᾧ συμβέβηκεν ἀμέλγεσθαι τὰ πρόβατα. Apud Homerum vox, quae semper in formula (ἐν) νυκτὸς ἀμολγῷ exstat, sine dubio indicat ἀκμήν i. e. mediae noctis tenebras. Quod apud Hesiodum op. 590 legitur μάζα τ' ἀμολγαίη, hoc ad eandem vim redit, quae ἀμολγός per ἀκμή vertit, ut vult gramm. apud Cramer. Anecd. Ox. I p. 82 καὶ Ἡσίοδος μᾶζαν ἀμολγαίην τὴν ἀκμαίαν πρὸς τὸ φαγεῖν, cum alii falso, inter quos est Doederlein, obscuritatis notionem subiicientes panem, qui est colore nigro, interpretentur. Itaque poesis epicae usui subest notio ἀκμή vel ἄνθος.[1] Quo-

[1] Cf. ἀμέργω i. e ἄνθος ἀποδρέπεσθαι, unde Ἀμοργός nomen ducit, deinde Hesych. ἀμολγάζει· μεσημβρίζει, et omnino quae egregie

modo tragici vocabulum intellexerint, Aeschyli et Euripidis exempla docent. In Aeschyli loco fr. 69 quamvis valde corrupto, quem verba ἐπὶ δυσμαῖς satis probant pertinere ad Solis occasum ita a poeta fictum, ut Sol in poculum, quo per noctem ferri dicitur, immergat vel inscendat, vix dubium esse potest, quin haec verba coniungenda sint: μελανίππου προφυγὼν ἱερᾶς νυκτὸς ἀμολγόν, quibus quae vis insit, enucleandum est. Mediam noctem fugere Solem vix dici potest, quoniam iam multo ante illud tempus nocte ingruente discessit, ergo ἀμολγός non esse potest μεσονύκτιον vel ἀκμή. At cum Sol nocte ingruente e conspectu evolet, hoc noctis initium vel crepusculum significari facile putet quispiam. Sed ne hoc quidem rationem habere concedes, si accuratius ad loci sententiam animum attenderis. Nam Sol non crepusculum, in quo etiam adest, sed intra crepusculi spatium noctis tenebras fugit. Itaque ἀμολγός non certum aliquod tempus indicare, sed generaliter de noctis tenebris vel caligine dici necesse est et poetam tragicum per ἱερᾶς νυκτὸς ἀμολγόν Homeri κνέφας ἱερόν circumscribere vel exprimere verisimile videtur. Euripidis locum fr. 104 quem Hesychius ita scriptum exhibet: ἀμολγὸν νύκτα· Εὐριπίδης Ἀλκμήνῃ, ζοφερὰν καὶ σκοτεινήν depravatum esse Doederlein arbitratus emendare studuit Gloss. Hom. 378 ἀμολγόν· νύκτα ῥοφερὰν καὶ σκοτεινήν· Εὐριπίδης Ἀλκμήνῃ, ut non adiectivum, sed substantivum solito usu positum sit ab Euripide. Sed minime est, cur mendum latere in Hesychii verbis censeamus. Nam cum apud Homerum nulla alia forma legatur nisi ἀμολγῷ, omnino nescimus, utrum haec forma ad nominativum ἀμολγός an ἀμολγόν redeat. Si quis hanc posteriorem formam subiecit, facile potuit ἀμολγόν accipere pro neutro adiectivi ἀμολγός atque hac ratiocinatione Euripides quo est novandi studio perductus videtur, ut ἀμολγὸν νύκτα poneret. Sed utut res se habet, ἀμολγός teste Hesychio eandem quam apud Aeschylum tenebrarum nocturnarum principalem notionem induit apud Euripidem. Ergo tragicos nullam aliam quam nocturnae caliginis definitionem novisse necessario colligendum est.

---

disputavit Buttmann Lexil. II 39 sq., qui tamen non recte de etymo vocabuli iudicat.

ἀ μ ύ μ ω ν. Semper in poesi epica haec vox Aeolica in bonum sensum usurpatur de personis et rebus nulli vituperationi obnoxiis, praestantibus, nobilibus, illustribus, sed in verbis α 29 ἀμύμονος Αἰγίσθοιο nihil nisi ineptam imitationem deprehendimus, cum poeta Odysseae α non sit homo acri ingenio praeditus. Hesych. ἀμύμων· ἀγαθός, ἀμώμητος, ἄμεμπτος. E poetis non epicis Pindarus solus semel vocem praebet Olymp. X 27 Ποσειδάνιον πέφνε Κτέατον ἀμύμονα. Num hoc loco poeta lyricus certam tribuerit notionem epitheto, dubium videtur, sed Metzger de corporis pulchritudine vocem intellegit, quae interpretatio illam habet rationem, quod ἀμύμων, ut apud Homerum, certe non ad Cteati morum et animi indolem spectat, quae si vituperatione vacasset et numeris suis absoluta fuisset, Hercules eum non occidisset, sed alias praedicat Cteati virtutes sive quae in eius nobilitate generis ad Neptunum relati sive in corporis robore Herculi confidenter resistente continentur.

ἀ μ φ ί γ υ ο ς. De hac voce parum inter se consentiunt veteres grammatici, ut apparet e schol. A. ad N 147 πρὸς τὸ ἀμφιγύοισιν, ὅτι οἱ μὲν, ἐπεὶ ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ διερείδοντες χρῶνται· οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ γυῶσαι, ὅτι βλάπτει ἀμφοτέρωθεν. οἱ δὲ μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν γυίων, ὅτι ἑκατέρωθεν ἄκρον ἔχει· γυῖα γὰρ τὰ ἄκρα. Apud Homerum semper cum ἔγχη coniunctum vocabulum sic intellegendum videtur, ut hastae significentur, quae utrimque (ἀμφί) in dextra sinistraque cuspidis parte aciem (γυῖον) habebant, ut recte postrema scholiastae explicatione exponitur. Sophocles ab hasta, pugnatorum instrumento, ad pugnatores ipsos transtulit cognomentum Trach. 504 τίνες ἀμφίγυοι κατέβαν πρὸ γάμων. Qui de hoc loco egerunt interpretes, alius aliam protulerunt sententiam. Iam scholiasta cum quem significatum Sophocles voci imposuisset nesciret, eam sic circumscripsit: ἀντίπαλοι ἢ ἰσχυροὶ ἐν τοῖς γυίοις μαχεσάμενοι χερσὶ καὶ ποσὶν ἢ ἄμφω τεθωρακισμένοι ἢ ἄμφω παρωξυμμένοι, e quibus variis interpretationibus quae vera sit postea patebit. Sed ut hoc praemittam, secunda scholiastae interpretatio (ἰσχυροὶ ἐν τοῖς γυίοις μαχεσάμενοι χερσὶ καὶ ποσίν), quacum convenit Musgravii et Doederlini sententia, qui item de luctatoribus nunc manibus, nunc pedibus se invicem vexantibus intellegunt vocabulum, vel inde reiicienda

videtur, quod de Acheloo, quippe qui tauri formam induisset, non potest dici ἀμφίγυος eo sensu, ut nunc manibus, nunc pedibus adversarium urgueat. Neque magis probari potest, quod Hermann proposuit: ἀμφίγυοι sunt dispares membris, alter humana forma, alter tauriformis. Nam etiamsi fieri possit, ut posterior vocabuli pars -γυος ad membrorum naturam pertineat, tamen neque praepositio ἀμφί hanc dissimilitudinem indicare potest et non formarum dissimilitudo, sed virium similitudo praedicetur necesse est, quoniam non illa, sed haec summum spectandi terrorem attulerat Deianirae. Propius ad verum accedere, quod nonnullis, ut Nauckio, visum est ἀμφίγυοι idem esse, quod ἀμφότεροι ἰσχύοντες τοῖς γυίοις, quamquam concedendum est, tamen ne hoc quidem plane in hunc locum cadere existimo. Nam primum num Sophocles ipse hanc propriam membrorum notionem, quae vel in ipsis Homeri exemplis evanuisse videtur, voci inesse senserit, valde incertum est; deinde qui hanc explicationem secuntur, plane neglegunt, id quod maximi momenti est et a quo totius quaestionis initium capiendum est, poetam tragicum manifesto a pugnatorum instrumento ad pugnatores ipsos transtulisse vocabulum, ita ut talem notionem valere necesse sit, cuius translatus sensus maxime affinis sit proprio ex eoque facile elici possit. Itaque ut ἔγχος ἀμφίγυον est hasta, quae utrimque γυῖα i. e. acies habet, qua notione hoc epitheton accipi necesse est,[1] ita ἀμφίγυοι sunt pugnatores, quorum uterque γυῖα habet. Sed quid putamus per γυῖα significari apud Sophoclem? An proprie membra (quae nos dicimus «extremitäten»), quae uterque habeat integra, ut quodam modo opponantur iis, qui non habeant membra integra? Hoc ineptum esse patet. Quomodo γυῖα intellegenda sint, poeta ipse indicare videtur, cum quae inde a. v. 507 secuntur consideramus: ὁ μὲν ἦν ποταμοῦ σθένος, ὑψίκερω τετραόρου φάσμα ταύρου . . . ὁ δὲ τόξα καὶ λόγχας ῥόπαλόν τε τινάσσων. Haec verba epexegesis instar ad ἀμφίγυος factae videntur posita esse, quippe quae exponant quibus adiumentis utriusque robur contineatur. Haec explicandi ratio si vera est,

[1] Propter mensuram diversam υ vocalis, quae statuenda est in γυῖα et ἀμφίγυος haec derivatio non plane certa videtur, sed ne ἀμφίγυος ad eam stirpem revoces, quae patet in γύαλα, Γύαρος insula, γυμνός, impedit huius vis, quae pertinet ad cavum.

interpretationem ἀμφότεροι ἰσχύοντες τοῖς γυίοις i. e. membris falsam esse apparet. Nam non in membris, sed in armis utriusque robur constitisse illis verbis diserte explicatur. Ut Hercules arcu, hasta, clava valebat, ita cornua et quattuor pedes Acheloi arma erant. Explicatio igitur ἰσχύοντες τοῖς γυίοις (membris) in Acheloi quadrupedis tantum, sed non cornuti naturam quadraret, ab Hercule vero plane aliena est. Quapropter necessario colligendum est propriam membrorum significationem in ἀμφίγυοι non inesse, sed aperte ita translatam, ut γυῖα sint arma, quibus utriusque robur nitebatur, quemadmodum hastae virtus τοῖς γυίοις i. e. cuspidis aciebus continetur, neque ullam aliam vim valere posse nisi ἀμφότεροι ἰσχύοντες γυίοις i. e. armis, non membris. Ad hanc, quam Sophocles subiecit, notionem aliquantum accedit quam exhibet gramm. Bekk. p. 388, 27 explicatio: ἀμφιγύοισι· τοῖς ἐξ ἑκατέρου μέρους πλῆξαι ἢ γυιῶσαι δυναμένοις, vel similis scholiastae Sophoclei: ἄμφω παρωξυμμένοι. Huic Sophoclis usui Homericam significationem hastae utrimque acutae dilucide subesse videmus.

ἄπιος. De hac voce tradit schol. A ad A 270 τηλόθεν ἐξ ἀπίης· ὅτι παραλλήλως τηλόθεν ἐξ ἀπίης. οἱ δὲ νεώτεροι ἐξεδέξαντο τὴν Πελοπόννησον. Dubium esse non potest, quin adiectivum apud Homerum remotum significet (cf. Buttmann Lexil. I p. 67 sq.). Sed apud Sophoclem res aliter se habet. Nam non solum unus ex posterioribus de terra remota, ut apud Homerum, sed etiam de Peloponneso nominis proprii loco posuit hanc vocem. Sed prior tantum significatio Homeri morem sequitur et prorsus alia est vocabuli ratio in illo loco, quo Peloponnesus significatur. Locus est in O. C. 1685 πῶς γὰρ ἤ τιν' ἀπίαν γᾶν ἢ πόντιον κλύδων' ἀλώμεναι; scholiasta recte interpretatur: τὴν μακρὰν καὶ ἄποθεν οὖσαν. Alter locus ad Peloponnesum referendus, qui ab hoc allato plane diversus est, exstat O. C. 1303 γῆς ὅσοιπερ Ἀπίας πρῶτοι καλοῦνται i. e. Peloponnesi. Sophoclem alterum vocabulum ab altero dilucide distinxisse vel inde apparet, quod in Ἀπίας primam syllabam producit (cf. Ἆπις Aesch. Suppl. 275), in ἄπιος corripit, cum Buttmann et Ellendt Sophoclem in utroque adiectivo α vocalem producere falso iudicent.

ἀργίπους. Apud Homerum exstat κύνες ἀργίποδες, κύνες πόδας ἀργοί, κύνες ἀργοί et dubium est sintne canes velocibus an albis pedibus praediti. Nam quamquam illud verisimilius videtur, tamen omnibus ceteris Homeri locis, ubi ἀργός eiusque composita exstant, inest candoris vis, cf. ἀργιόδοντες κύνες, σύες etc. Cum autem conferimus Ω 211 ἀργίποδας κύνας ἆσαι cum locis similibus Λ 818 ἄσειν ταχέας κύνας et Χ 89 κύνες ταχέες κατέδονται, ταχύς intellegendum esse verisimile est.[1] At quomodo Sophocles Iliadis locum Ω 211 imitatus vocem intellexerit, videmus ex Ai. 237 δύο δ' ἀργίποδας κριοὺς ἀνελών, schol. ταχύποδας ἢ λευκόποδας: scholiasta igitur dubitat, arietes pedibus celeribus an albis praediti intellegendi sint. Utrum verum sit, facile est diiudicatu. Quomodo enim fieri potest, ut celeres vocentur arietes, qui potius contrario aliquo epitheto digni erant. Itaque de pedum celeritate minime cogitari potest. Huc accedit, quod ad totius loci sensum multo accommodatius est Aiacem insanientem duos arietes sibi eligere, qui praeter ceteros colore insignes emineant. Eadem albi coloris significatione Sophocles usurpat adiectivum compositum ἀργινεφής in fr. 491 ὀπὸν ἀργινεφῆ, et simplex ἀργής in O. C. 670 τὸν ἀργῆτα Κολωνόν. Est igitur ἀργίπους albis pedibus praeditus.

ἀτρύγετος. Non satis constat quid significetur hoc adiectivo, cum vertant grammatici aut ἀκαταπόνητος aut ἄκαρπος vel similiter (cf. Hesych., Et. M. 167, 22). Apud Homerum mare et aether non sterilia, sed infinita potius significari videntur. Poetae lyrici et tragici quo sensu usurparint hoc vocabulum de mari et aëre, nonnullis locis demonstrari potest: Theogn. 248 ἰχθυόεντα περῶν πόντον ἐπ' ἀτρύγετον: mare infructuosum interpretari hoc loco vanum et absurdum esse patet, quoniam mare piscibus abundans minime infructuosum vocari potest. Aliud igitur poeta significari voluit, quod eo indicari mihi videtur, quod paulo ante v. 237 ἐπ' ἀπείρονα πόντον legitur, ita ut in ἀτρύγετος eandem infiniti et immensi significationem inesse existimem. Hanc interpretationem si sequimur, negari

---

[1] Ad idem vocabulum ἀργός redit στομαργός i. e. ore celer, loquax.

nequit sententiam aptissimam effici, qua optime id describitur, quanta quam poetae carmina propagent gloria sit Cyrni, cuius nomen non solum in Graecia insulisque praedicetur, sed etiam usque ad mare immensum perveniat. Deinde quod exstat apud Bacchylidem fr. 47 νωμᾶται δ' ἐν ἀτρυγέτῳ χάει, quae verba ad aquilam in aere versantem pertinere scholiasta Hesiod. Th. 116 tradit, hoc sine dubio ad eandem immensitatis vim referendum est, qua nulla alia loci naturae accommodatior cogitari potest. Ceterum hic Bacchylidis locus ab Ibyci fr. 28 ποτᾶται δ' ἐν ἀλλοτρίῳ (ἀπείρῳ vel πατρίῳ coni. Bergk) χάει non diversus est, ut recte Ruhnken censuit. Similis est condicio loci Sophoclei fr. 435 ὑπὲρ ⟨αἰθέρος⟩ ἀτρυγέτου γλαυκᾶς ἐπ' οἶδμα λίμνας, ubi item de aquila dicitur neque alia nisi immensitatis notio cogitari potest. Sed locus dubius est et post ὑπέρ excidisse αἰθέρος Kock recte suspicatus esse videtur. Praeterea duo exempla sunt Solon. 13, 9 πόντου πολυκύμονος ἀτρυγέτοιο πυθμένα, et Hippon. 85, 4 παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο, quorum sententia non certa praebet interpreti argumenta. Sed quae antea attulimus, idonea sunt, quibus probetur antiquis temporibus solam infiniti vel immensi explicationem pervulgatam fuisse.

βλοσυρός. Vocabulum est Platonicum et Theophrasteum atque semel apud Nicostratum comicum[1] legitur, sed cum nullo alio loco exstet apud Atticos, num vivum fuerit dubitari potest. In diversas partes opiniones de huius vocis vi prolatae feruntur. Non eodem modo explicat Et. M. 201, 6 καταπληκτικός, φοβερός, δεινός· παρὰ τὸ σοβαρῶς καὶ ἐπηρμένως λεύσσειν ἢ βλέπειν, οἱ δὲ λαμπρὸς ἢ χαλεπός· ἄλλοι σεμνός. Apud Homerum tantum de oculis vel vultu heroum bis et compositum βλοσυρῶπις de Gor-

---

[1] Plato pro σεμνός posuit vocabulum, ita ut subiiceret significationem δεινὸς ὁρᾶν: de republ. p. 535 b γενναίους τε καὶ βλοσυρούς, quod denotat civitatis principes; Theaet. p. 149 a εἰμὶ υἱὸς μαίας μάλα γενναίας τε καὶ βλοσυρᾶς: suam matrem Socrates sic nominat; eadem significatione Nicostratus adiectivum adscivisse videtur, quamquam quo pertineat eius sententia nescimus fr. 35 νὴ τὴν Ἀφροδίτην, ὦ ξένη, βλοσυράν γε τὴν ψυχὴν ἔχεις. Horridi notio usui Theophrasteo subest, qui saepius vocabulum praebet.

gonis aspectu, in Scuto Herculis eodem modo de facie Martis, Parcarum (Κῆρες), draconis, leonis legitur, atque quod non raro fit apud poetas epicos, in Scuto 250 tamquam interpretationis causa apposuit poeta δεινωπός: Κῆρες κυάνεαι... δεινωποὶ βλοσυροί τε, unde grammaticorum explicatio δεινός orta est. Apud Homerum βλοσυρός est δεινὸς ὁρᾶν, quae notio etiam in composito βλοσυρῶπις patet. In Aeschyli exemplo Eum. 168 πάρεστι γᾶς ὀμφαλὸν προσδρακεῖν αἱμάτων βλοσυρὸν ἀρόμενον ἄγος ἔχειν, ubi de Orestis matricidio dicitur, facile quis putet pristinam videndi notionem servatam esse et poetam tragicum nihil aliud fecisse quam ut quae proprio exstabat significatu vox in poesi epica, hanc translato sensu usurparet, ita ut interpretandum sit Eumenides terrae umbilicum aspicere inquinatum sanguinis piaculo rursusque ipsum piaculum torvis oculis Eumenides aspicere (germanice: die Blutthat, die uns angrinst, anstarrt). Hanc interpretationem tamen admitti non posse censeo, cum consideremus Aeschylum compositum βλοσυρόφρων formasse in Suppl. 846 βλοσυρόφρονα χλιδᾷ δύσφορα ναΐ κὰν γᾷ: Danaides summo terrore perculsae navibus Aegyptiacis appellentibus his verbis utuntur. Nam adiectivum, cui inest videndi notio, non potest componi cum -φρων terminatione, quae non ad externum corporis habitum, sed ad animi indolem pertinet. Qua de causa videndi vim plane in exemplis Aeschyleis evanuisse neque aliam quam horrendi restitisse pro certum habendum est. In loco carminis vulgo Phocylidi tributi fr. 3 v. 3 et 5 συὸς βλοσυρῆς tam inepte usurpata est haec vox, ut vel inde eluceat hoc non esse veteris poetae, sed multo recentioris, qui voci horridi (struppig) notionem tribuit, quae etiam locis Theophrasteis subest.

γαιήοχος apud Homerum, Hesiodum, Pindarum Neptunus solus appellatur, quod varie explicant grammatici, velut schol. AD ad N 125 ὁ ἔχων ἤγουν βαστράζων τὴν γῆν· ἐπὶ γὰρ τοῦ ὕδατος ἡ γῆ ἐστήρικται, schol. D ad N 43 ὁ τὴν γῆν συνέχων, schol. D ad N 125 ἤτοι ὁ ἐπὶ γῆς ὀχούμενος ἢ ὁ χαίρων τοῖς ἅρμασιν· ἵππιος γὰρ ὁ θεός. In poesi epica Neptunus hoc epitheto denotatur ut deus, qui terram sustinet, continet, cingit, fulcit, firmat, iratus autem concutit, quare et γαιήοχος et ἐννοσίγαιος

appellatur.[1] Sed cum Aeschylus et Sophocles praeter Neptunum alios quoque deos hoc epitheto insignirent, quorum natura plane alia et quibus hoc munus terrae sustinendae vel continendae non obtingit, hi poetae aut hanc Homericam notionem non noverunt aut si noverunt consulto aliam subiecisse videntur. Loci qui secundum usum Homericum de Neptuno apud Pindarum ubique, Aesch. Sept. 297, Soph. O. C. 1072 inveniuntur, hanc quaestionem non tangunt, sed tantum illi, in quibus γαιήοχος aliorum numinum cognomentum est, qualia haec sunt: Aesch. Suppl. 823 γαιάοχε παγκρατὲς Ζεῦ, Soph. O. R. 160 Ἀθάνα, γαιάοχον τ' ἀδελφεὰν Ἄρτεμιν. Primum apparet etymologiam illam, quae γαιήοχος per ὁ ἐπὶ γῆς ὀχούμενος ἢ ὁ χαίρων τοῖς ἅρμασιν explicat, ab his poetis alienam esse, cum Iovi et Dianae nihil cum curribus sit negotii,[2] neque quidquam aliud valere posse epitheton quam ὁ γαῖαν ἔχων. Deinde autem cognoscitur voci γαιήοχος hos aliam tribuisse vim, nam γαιήοχος his duobus locis non esse potest qui terram sustinet vel continet, sed generaliter dictum esse oportet de diis, qui mundum tuentur, eius imperium tenent dominique sunt. Ut enim Iuppiter totius mundi imperium tenet eumque tuetur, ita Diana Boeotiae tutrix dominaque appellatur; sic iam scholiasta ad O. R. 160 ex parte (nam non recte γῆ pro πόλις positum esse iudicat) recte interpretatur: ἢ ἀντὶ τοῦ τὴν πολιοῦχον, ὥστε τὴν γῆν ἀντὶ τῆς πόλεως εἴληφεν.

γλαυκῶπις. Innumerabiles sunt coniecturae de hoc verbo intellegendo propositae, de quo quid veteres grammatici docuerint, memoriae tradidit Et. M. 233, 32 γλαυκῶπις· ἤτοι γλαυκόφθαλμος, καλή· ἢ γλαυκοὺς καὶ καταπληκτικοὺς τοὺς ὦπας (ὅ ἐστι τοὺς ὀφθαλμούς) ἔχουσα· ἢ ἀπὸ τοῦ δεινὸν γλαύσσειν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ὅ ἐστιν ἀπαιθύσσειν· ἢ ἀπὸ τοῦ γλαυκὰ ὀπίζεσθαι, τουτέστιν ἐντρέ-

---

[1] Syllaba γαι- semper in thesi, an γαϊήοχος? quod non certe ad γαίην ducit. Sane etiam κύδεϊ γαίων legitur, sed satis recentibus in carminibus.

[2] In Titanomachia quidem Iovem uti quadrigis ut victoris insignibus notum est, sed huc spectasse poetas tragicos, cum γαιήοχον appellarent Iovem minime est probabile.

πεσθαι· ἢ ἀπὸ τοῦ Γλαυκωπίου ὄρους, ὃ Λυκαβηττὸς καλεῖται· ἢ παρὰ τὸ γλαύσσω, γλαύξω· ἐξ οὗ καὶ ἡ γλαῦξ τὸ ὄρνεον. Hanc vocem, quae ab Homero et Hesiodo semper Minervae proprium cognomentum tribuitur in formula γλαυκῶπις Ἀθήνη et deae oculorum proprietatem aliquam praedicat sive splendoris sive coloris caesii sive alius generis, posteriores quoque poetae Minervae tantum indiderunt, nisi quod Ibycus fr. 9 γλαυκώπιδα Κάσσανδραν praebet et Euripides Empedoclem (v. 176 St. ὅσον μήνης γλαυκώπιδος ἔπλετο εὖρος) imitatus lunam hoc epitheto ornavit fr. 1009 γλαυκῶπίς τε στρέφεται μήνη. Cetera exempla de Minerva posita haec sunt: Pind. Nem. VII 96 Ἥρας πόσιν τε πειθέμεν κόραν τε γλαυκώπιδα· substantivi loco duobus locis ponitur: Nem. X 7 Διομήδεα δ' ἄμβροτον ξανθά ποτε Γλαυκῶπις ἔθηκε θεόν· Olymp. VII, 51 αὐτὰ δέ σφισιν ὤπασε τέχναν πᾶσαν ἐπιχθονίων Γλαυκῶπις ἀριστοπόνοις χερσὶ κρατεῖν· Soph. O. C. 706 χά γλαυκῶπις Ἀθάνα. Quod attinet ad etymologiam, vix potest esse dubium, quin hi poetae cum γλαυκός adiectivo compositam putarent hanc vocem, quod e compluribus locis apparet. Optime hoc intellegitur ex Eur. Heraclid. 754 γλαυκᾶς τ' ἐν Ἀθάνας, ubi per γλαυκός Homeri γλαυκῶπις exprimitur. Atque idem efficitur e Pindaro, qui cum Ol. VI 45 γλαυκῶπες δράκοντες et Ol. VIII 37 γλαυκοὶ δράκοντες praebeat, sine dubio γλαυκώψ a γλαυκός deduxit. Cum vero γλαυκώψ nihil aliud sit quam forma masculina vocis γλαυκῶπις, huic quoque eandem etymologiam subesse necesse est. Neque aliter de hac voce Sophocles sensisse videtur. Nam cum poeta O. C. 706 χά γλαυκῶπις Ἀθάνα et v. 701 γλαυκᾶς ἐλαίας praebeat, hos duos locos paucorum versuum intervallo inter se seiunctos artius cohaerere et necessitudinem quandam inter eos intercedere verisimile videtur et eo quidem modo, ut poeta cognomen γλαυκῶπις verbis γλαυκὴ ἐλαία illustraverit et originem vocis γλαυκῶπις a γλαυκός duxerit, quod epitheton olivae Minervae sacrae et ab ea in Atticam importatae indidit. Itaque ad significationem ab his poetis subiectam enucleandam quid sit γλαυκός quaerendum est. Varias induit notiones γλαυκός, cum significet et caeruleum [1]

---

[1] Cf Σ 34, Hes. Theog. 440 θάλασσα γλαυκή i. e. mare caeruleum; Soph. O. C. 701, Eur. Iph. T. 1101, Troad. 802 γλαυκὴ ἐλαία, quod vertit Ovid. ar. am. II, 518 per «caerula Pallados arbor».

et caesium[1] et viridantem,[2] denique generaliter colorem nitidum, splendentem, ardentem.[3] Eurip. fr. 1009 quaenam harum notionum conveniat, ambiguum esse nequit. Nam cum omnes aliae interpretationes plane ab hoc loco abhorreant, extrema, quae lunam splendentibus oculis terras lustrantem intellegit, aptissima est. Itaque per γλαυκῶπις non certum colorem, sed generaliter oculorum splendorem et ardorem indicari Euripidi Empedocle praeeunte visum est. Idem de Pindaro statuendum videtur. Ut enim apud hunc poetam γλαυκῶπες δράκοντες et γλαυκώψ ὄφις non sunt dracones et serpens caesiis, sed spendentibus et ardentibus oculis praediti, ita eadem notio in γλαυκῶπις valeat necesse est, ita ut Minerva splendentibus et ardentibus oculis praedita significetur. Ibyci et Sophoclis locis quamquam nihil certi de vi vocis explorari potest, tamen hanc, quae valet apud Pindarum et Euripidem, aptam esse negari non potest. Sed hoc utut est, vidimus omnes poetas a γλαυκός vocis originem duxisse et omnes alias interpretationes a grammaticis fictas non novisse.

δαίς. E prosae orationis scriptoribus Xenopho et Plato hanc vocem praebent. Per δαίς significari ab Homero deorum hominumque epulas, nunquam bestiarum Aristarchus docet apud Athen. I 12 e καὶ ἐπὶ μόνων τῶν ἀνθρώπων δαῖτας λέγει ὁ ποιητής, ἐπὶ δὲ θηρίων οὐκέτι (cf. Lehrs l. l. p. 87, M. Hecht, quaestiones Homericae p. 16). Stultum commentum totum esse Aristarchi neque quidquam tale tragicis notum fuisse aperte Nauck demonstravit (Mél. Gr. R. III p. 9 sq.). Pindarus solus e posterioribus doctrinae Aristarcheae non adversatur, cum de deorum hominumque tantum epulis δαίς praebeat. At Aeschylus, Sophocles, Euripides non solum de deorum hominumque cibo posuerunt vocem, sed etiam ferarum. De deorum cena dictum

---

[1] Hoc in γλαυκῶπις Ἀθήνη inesse posteriores voluerunt, ut elucet e verbis Ciceronis nat. deor. I 30 caesii oculi Minervae, caerulei Neptuni.

[2] Cf. Eur. Suppl. 258 χλόη γλαυκή, Soph. Tr. 703 γλαυκῆς ὀπώρας.

[3] Cf. Pind. Ol. VIII 37 γλαυκοὶ δράκοντες, Olymp. VI 45 γλαυκῶπες δράκοντες, Pyth. IV 249 γλαυκῶπα ὄφιν.

est vocabulum Soph. fr. 548, de hominum Aesch. Ag. 1241, ib. 1593, Ch. 481, de bestiarum Aesch. Ag. 732, Soph. Phil. 945. Euripides saepissime vocem in suum usum vertens de hominum et bestiarum cibo promiscue usurpat (cf. Lehrs l. l. p. 160). Denique Aeschylus de aquila iecur Promethei comedente vocem derivatam δαιταλεύς[1] usurpat Pr. 1056. Derivatum Homericum δαιτυμών duplicem induit significatum, cum notetur et qui epulas instituit (cf. δ 621 δαιτυμόνες δ' ἐς δώματ' ἴσαν θείου βασιλῆος, schol. Q. οἱ τὴν τράπεζαν τοῦ γάμου παρασκευάζοντες) et qui ipse epulatur; qua posteriore notione posuit vocabulum Eur. Cycl. 610 τοῦ ξένων δαιτυμόνος· sic etiam Herodotus et Plato vocem usurparunt.

δαίφρων. Huic vocabulo ab Homero et Hesiodo de viris et mulieribus usurpato veteres grammatici duas significationes tribuerunt, cum duplici modo originem eius explicarent, velut schol. V ad α 48 Ὀδυσῆι δαΐφρονι· πολεμόφρονι, δαῒς γὰρ ἡ μάχη. Ὅταν δὲ ἐπὶ τῆς Πενελόπης λέγῃ, δεδαηκυίᾳ κατὰ φρένας, τουτέστι μεμαθηκυίᾳ, ἐξ οὗ τὴν συνετὴν καὶ σώφρονα βούλεται δηλοῦν. Hanc duplicem originationem in poesi epica valere non verisimile videtur, praesertim cum δαίφρων brevem habeat vocalem α, δαΐς vero primam syllabam producat, cf. δᾱ́-ιος, δήιος; potius a δαῆναι sciendi verbo vox derivanda est, ita ut prudentem in universum denotet. Pindarus Alcmenam hoc cognomento ornavit Pyth. IX 84 τέκε οἱ καὶ Ζηνὶ μιγεῖσα δαΐφρων ἐν μόναις ὠδῖσιν Ἀλκμήνα i. e. prudens; ergo non a δαΐς vocem repetiit poeta lyricus, sed ad δαῆναι stirpem eam rettulit. Metzger aliam explicandi rationem excogitavit, cum δαίφρων sic intellegi vellet: doppelsinnig, einem göttlichen und menschlichen Gatten zugleich ergeben; sed haec vis praeterquam quod neque apud Homerum, cuius vestigia pressit Pindarus, neque apud grammaticos invenitur, ineptissimum

---

[1] Cur Aristophanis fabula Δαιταλῆς inscripta sit, constat. Δαιταλῆς, antiquo nomine παράσιτοι, sunt epulones in fano Herculis cenantes; cf. Kock I p. 438. Deinde Δαίτων heros, si modo haec est vera nominis forma nomen cepit a δαίς; cf. Athen. IV 173 sq. coll. II 39 c. Itaque non plane ex usu evanuit δαίς eiusque derivata, sed in re sacra usitata fuisse videntur, quapropter Aristophanes quoque fabulam Δαιταλῆς inscripsit.

efficit sensum, quippe cui insit vituperatio quaedam Alcmenae, a qua Pindari animus longe aberat.

διερός bis in Odyssea legitur ζ 201 et ι 43, quod alii ὀξύς, ταχύς explicarunt, alii ὑγρός unde ζῶντος notionem elicuerunt (cf. Lehrs l. l. p. 47), velut schol. H ad ζ 201 οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτός· ὁ ζῶν, sed Gl. Pal. βλαπτικός, πειρατικός, πειρατής, deinde schol. P Q V ad ι 43 διερῷ ποδὶ φευγέμεν· μεταφορικῶς τῇ νηί. οἱ δὲ διερῷ τῷ ὀξεῖ καὶ ταχεῖ, οἱ δὲ τῷ ζῶντι, ἐπεὶ ξηροὶ οἱ ἀποθανόντες· Apoll. Soph. 58, 31 διύγρῳ. Sine dubio apud Homerum fugax vel fugator notatur, atque ubi huic adiectivo humidi notio tribuitur, hic usus non ex Homero fluxit, sed ad dialectum Ionicam redit, qui iam in Hes. op. 460 αὔην καὶ διερὴν ἀρόων ἀρότοιο καθ' ὥρην invenitur. Nam duae sunt voces διερός, altera Homerica fugacis vel fugatoris notione induta eandemque stirpem quam δίεμαι exhibens, altera Ionica humidum significans;[1] interpretes Alexandrini, imprimis Aristarchus hanc e dialecto Ionica notam vocabuli significationem locis Homericis adaptare studebant et confundebant has duas voces inter se diversas. Apud Aeschylum cum legatur Eum. 263 αἷμα μητρῷον χαμαί, δυσαγκόμιστον, παπαῖ, τὸ διερὸν πέδοι χύμενον οἴχεται, qua significatione vocabulum διερός positum sit, explorandum est. Si verum esset, quod omnes interpretes sumunt, hoc loco sanguinem humidum significari, ita ut esset «ornans» epitheton, Aeschylus e dialecto Ionica hoc vocabulum in suum usum delibasset. Sed haec significatio vix poetae tragico conveniens est, immo notionem fugacis subiectam esse et sanguinem, qui fugiens abit, indicari verisimilius est, quae interpretatio cum multo fortiorem reddat sententiam, vulgari praeferenda est, ut non e dialecto Ionica, sed ex Homero hauserit usum Aeschylus. Item Plato (?) mori Homerico se addixisse videtur Ion. 534 b κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ διερόν, ubi διερός est fugax.

---

[1] Cf. Hippocr. p. 290, 16 τῷ ἠέρι χρώμενοι οὐ λαμπρῷ, ἀλλὰ χνοώδει τε καὶ διερῷ, Aristot., qui e philosophorum Ionicorum scriptis hoc vocabulum novit, de gener. et interit. II 2 διερὰν τὸ ἔχον ἀλλοτρίαν ὑγρότητα ἐπιπολῆς.

ἔγχος. Omnibus Homeri et Hesiodi locis hoc vocabulo hastam significari constat, sed ille, qui apud Homerum valet, usus a posterioribus poetis non servatur. Falso igitur explicat Et. M. 313, 1 ἔγχος καὶ ξίφος[1] καὶ δόρυ τὸ αὐτὸ οἶδεν Ὅμηρος, recte schol. A H 255 ὅτι κυρίως ἔγχη τὰ δόρατα, οὐχ ὥς τινες τὰ ξίφη. Cum apud poetas lyricos et Aeschylum ἔγχος hasta sit, quo significatu et proprio et translato saepissime exstat, Sophocles et Euripides promiscue et pro hasta et pro gladio accipiunt verbum. Pro gladio accipi debet haec vox apud Sophoclem Ai. 95 ἔβαψας ἔγχος εὖ πρὸς Ἀργείων στρατῷ· ib. 287 ἄμφηκες λαβὼν ἔγχος· ib 658 κρύψω τόδ' ἔγχος· ib. 907 ἐν γὰρ χθονὶ πηκτὸν τόδ' ἔγχος· Ant. 1236 ἤρεισε πλευραῖς μέσσον ἔγχος, neque aliter explicanda videntur Tr. 1013 οὐ πῦρ, οὐκ ἔγχος, ib. 1032 ἀνεπίφθονον εἴρυσεν ἔγχος. Deinde apud Euripidem compluribus locis gladius notatur, de quibus iam Brunk recte sic egit ad Soph. Ai. 658 : «apud Euripidem in Phoen. 1413 δι' ὀμφαλοῦ καθῆκεν ἔγχος, ensem vertas necesse est ; nam de hasta ne cogites, obstat quod paulo ante praecessit:

ἔνθεν δὲ κώπας ἁρπάσαντε φασγάνων ἐς ταὐτὸν ἧκον.

Eiusdem Electra, ubi ait in cognomine dramate v. 696: πρόχειρον ἔγχος χειρὶ βαστάζουσ' ἐμῇ gladium intellegit, quippe quae modo dixerat :

παίσω κάρα γὰρ τοὐμὸν ἀμφήκει ξίφει.» Quibus locis addendus est Alcest. 76 ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα· nam verba v. 74 ὡς κατάρξωμαι ξίφει hunc significatum certo indicant. Ut hastam indicet, Euripides apponit ἐπίλογχος Heracl. 1003 ἔγχος ἐπίλογχον (cf. Hipp. 221 ἐπίλογχον βέλος) et πτερωτός addit ad sagittas significandas Heracl. 1098 πτερωτὰ ἔγχη.[2] Illam gladii notionem ex Homericorum locorum, velut ω 527 vel H 255, interpretatione profluxisse verisimile videtur.

ἑλικῶπις et ἑλικοβλέφαρος. Haec cognomenta ut iam veteribus grammaticis magnam moverunt difficultatem, quod e variis quas protulerunt interpretationibus satis elucet, ita

---

[1] Haec interpretatio pertinere videtur ad ω 527 τύπτον δὲ ξίφεσίν τε καὶ ἔγχεσιν ἀμφιγύοισιν.

[2] Cf. v. Wilamowitz Eur. Herakl. II p. 233.

postea quoque sagacitatem artemque interpretum exercuerunt, e quibus quid veteres suspicati sint, apparet e scholiis et lexicis, quae explicant εὐόφθαλμος (Snid.), μελανόφθαλμος (schol. A ad A 98), οἱ ἑλικοειδῶς κινοῦντες τοὺς ὦπας ὅ ἐστι τοὺς ὀφθαλμούς (Et. M.), similia. Voce ἑλικοβλέφαρος non palpebris easdem proprietates quas oculis ἑλικῶπις adiectivo tribui, sed partem pro toto positam esse, ut idem et par esse videatur utrumque epitheton, in Et. M. 332, 3, quod explicat ἑλικοβλέφαροι· ὦπας γὰρ τὰ βλέφαρα φασὶν, τὸ πᾶν ἀπὸ μέρους, recte suspicatos esse facile crediderim. Sed quae oculorum natura his vocibus, quibus praeter feminas Achaei potissimum notantur, in poesi epica exprimatur, valde in dubio est, quamquam non oculorum volubilitatem vel formam sinuatam, sed splendorem et colorem nigricantem indicari verisimillimum est. Pindarus Venerem et Alcmenam his epithetis ornavit fr. 123, 5 πρὸς δ' Ἀφροδίτας ἀτιμασθεὶς ἑλικοβλεφάρου, Pyth. VI 1 ἑλικώπιδος Ἀφροδίτας ἄρουραν, Pyth. IV 172 Ἀλκμήνας θ' ἑλικοβλεφάρου. Horum exemplorum ut notionem eruamus, non parvi momenti esse videtur, quod de iisdem Alcmena et Venere apud Hesiodum Scut. 7 haec legimus: τῆς καὶ ἀπὸ κρῆθεν βλεφάρων τ' ἄπο κυανεάων τοῖον ἄηθ' οἷόν τε πολυχρύσου Ἀφροδίτης. Nonne putamus his Hesiodi et Pindari locis unam eandemque significationem subesse? Nam in poesi epica epitheta quaedam singulis personis tributa magna constantia retineri solere et Pindarum minime ab hoc usu recedere constat. Ergo sive Pindarus hoc βλεφάρων τ' ἄπο κυανεάων per ἑλικοβλέφαρος expressit sive Scuti vel potius Eoearum poeta hoc ἑλικοβλέφαρος per βλεφάρων τ' ἄπο κυανεάων vertit, utique certo probatur veteres poetas in ἑλικοβλέφαρος et ἑλικῶπις coloris nigricantis significationem sensisse.[1] Iam vero cum de Venere et Alcmena agatur, quibus fuit omnium excellentissima et perfectissima muliebris formae pulcritudo, qualis quae secundum Graecorum opinionem hanc perfectam pulcritudinis speciem efficiat, natura sit oculorum, quaerendum est. Oculos nigros

---

[1] Quomodo Callimachus hoc vocabulum Homericum intellegi voluerit, docet eius locus fr 290 Αἴσηπον ἔχεις, ἑλικώτατον ὕδωρ, nam Aesepi fluvii ὕδωρ μέλαν quod vocabat Homerus B 825 per ἑλικώτατον vertit Alexandrinus; cf. Hesych. ἑλίκωπες· μελανόφθαλμοι.

veteribus pulcherrimos fuisse probavit Baumeister hymn. Hom. p. 340, quare vel inde nobis concludendum est Pindarum in ἑλικοβλέφαρος et ἑλικῶπις eam nigrorum vel nigricantium oculorum vim subiecisse. Quicum optime convenit, quod in fr. adesp. 31 Alcmani fortasse tribuendo Helena, mulier formosissima, vocatur ἑλικῶπις, quod ad eandem notionem revocandum est: ὀψόμενος Ϝελέναν ἑλικώπιδα.

ἕλιξ. Quid hoc vocabulo Homerus significaverit, veteres grammatici ambigunt, nam aliter explicat Apollon. 66, 21 ἕλικας βοῦς· ἤτοι τὰ κέρατα ἑλικοειδῆ ἐχούσας, ἢ ὡς ἔνιοι, ἀπὸ τοῦ κατὰ τοὺς πόδας ἑλιγμοῦ, aliter Hesych. ἕλιξ· μέλας, aliter Eust. 906, 48 οἱ εὖ ἑλισσόμενοι ἐν ταῖς ὅποι δέοι καμπαῖς. Omnibus Homeri et Hesiodi locis ἕλιξ cum βοῦς substantivo coniunctum legitur et sine dubio bovem curvatis cornibus ornatum significat, eodemque modo Sophocles vocem usurpavit Ai. 374 ἑλίκεσσι βουσί, schol. ἕλικας, τὰ περὶ τοὺς καρποὺς ψέλλια, ἢ ἐνώτια λέγουσι· καὶ ἑλικώτατον ὕδωρ τὸ ἑλικοειδῆ ἔχον τὴν ῥεῦσιν, ἢ διαυγές, ἑλικῶπις, καὶ ἑλίκωψ, εὐόφθαλμος: scholiasta igitur in voce ἕλιξ aut tortae aut splendentis rei notionem inesse iudicat. Sed a Sophoclis loco posteriorem significationem plane abesse pro certo habendum est. Nam minime de colore, qui non omnibus bubus est idem, cogitari potest et omnes interpretationes ad colorem pertinentes in loco Sophocleo omittendae sunt, duae potius verbi explicandi rationes, quas supra initio ex Apollonio attuli, respiciendae: aut ad cornuum formam aut ad pedum proprietatem vox referenda est. Ad quam quaestionem solvendam multum adiuvabit, quod apud Sophoclem Tr. 12 adiectivum verbale ἑλικτός legitur in verbis δράκων ἑλικτός, de cuius significatione dubitatio esse non potest. Haud dubie utrique vocabulo eadem principalis significatio subest. Ad Tr. 12 scholiasta haec habet: ἑλικτός· διὰ τὸ σκολιὸν τῶν ῥευμάτων: ad tortos progredientis draconis motus refert vocem scholiasta, ut ἑλικτός positum sit pro ἑλισσόμενος. Sed hoc vix credibile putem; nam leges grammaticae adiectivum verbale ἑλικτός eodem sensu usurpari vetant atque ἑλισσόμενος, potius ἑλικτός simplici modo ad corporis formam referendum est, ut significentur torta draconis membra, e. g. cauda vel collum vel similia. Eadem ratione ἕλιξ intellegendum

esse puto, atque cum quaerimus, quae corporum bovinorum partes tortae nominari possint, ad cornua solum hoc epitheton quadrare concedemus. Itaque βοῦς ἕλικες sunt boves, quorum cornua torta sunt. Quod de Sophocle exposuimus, aliqua ex parte confirmatur collatis Euripidis locis, qui quamquam non ex imitatione Homerica fluxerunt, tamen de tortuosis et curvatis rebus exstant, velut de flexuosis racemis vel graminibus: Bacch. 1170 φέρομεν ἐξ ὀρέων ἕλικα νεότομον ἐπὶ μέλαθρα μακαρίαν θήραν: de Penthei capite tamquam hederae loco thyrso circumvoluto; Helen. 180 ἕλικα τ' ἀνὰ χλόαν, ib. 1331 θαλερὰς βόσκας εὐφύλλων ἑλίκων. Itaque omnibus his locis tortuosi et curvati notio subest et idem cadit in locos, ubi substantivum ἡ ἕλιξ e dialecto Ionica [1] receptum exstat, quod semper de rebus tortuosis usurpatur, velut de fulminis discursibus tortis vibratisque apud Aesch. Pr. 1117, de serpentis spiris apud Eurip. Herc. 399. Ibyc. fr. 50 Καύκων θ' ἕλικας βοῦς: quid hoc loco sit ἕλιξ, in tantulo frusto diiudicari nequit, sed vix alio quoquam significatu positum est quam apud Sophoclem.

ἐλλός. Est vocabulum epicum, quod legitur in Titanomachia apud Athen. VII p. 277 d: ἐν δ' αὐτῇ πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἐλλοί; praeterea ἔλλοψ epitheton tribuitur isdem piscibus Hes. sc. 212 ἔλλοπας ἰχθῦς. Utrum pisces muti an celeres intellegendi sint, non constat (cf. Eust. p. 1720, 34 et Et. M. p. 339, 41). Cum Soph. Ai. 1297 ἐλλοῖς ἰχθύσιν praebeat, plane morem epicum exprimit, quare vix certi quidquam dici potest; illud tantum constat Sophoclem duobus locis Titanomachiae versum imitatum esse, nam praeter Aiacis locum etiam fr. 855, 9 ἰχθύων πλωτῷ γένει ex eodem Titanomachiae versu sumptum est; sed num omnino certum significatum in mente habuerit tragicus dubium est.

ἕλωρ. Apud Homerum non est cibus, sed rapina vel praeda, qua de re dicit scholiasta A ad P 151 ὅτι τὰ ἑλώρια οὐκ ἔστι βρώματα, ὡς οἱ γλωσσογράφοι, ἀλλ' ἑλκύσματα (cf. Lehrs l. l. p. 103). Quam vocem qua significatione posuerint poetae tragici,

---

[1] Cf. v. Wilamowitz Eur. Herakl. II p. 133.

facile reperiri potest. Cum enim Aeschylus et Sophocles de bestiarum tantum rapina hoc substantivum ponerent, plane morem Homericum secuti cibum raptum per ἕλωρ expresserunt: Aesch. Suppl. 808 κυσὶν δ' ἔπειθ' ἕλωρα κἀπιχωρίοις ὄρνισι δεῖπνον οὐκ ἀναίνομαι πέλειν· Soph. Ai. 830 μὴ ῥιφθῶ κυσὶν πρόβλητος οἰωνοῖς θ' ἕλωρ.

ἐναίρω. Non tam de vi quam de origine huius verbi dubitatur quod utrum sit simplex an compositum cum ex Homeri et Hesiodi locis non satis pateat veteres et recentiores viri docti in diversas discesserunt opiniones. Veteres plerique, inter quos Lehrsio iudice est Aristarchus, ducebant vocem ab ἔναρα, velut schol. V ad Φ 26 ἐναίρειν τὸ σκυλεύειν i. e. ἔναρα exuere, sed aliter Et. M. 337, 35 παρὰ τὸν ἄρην τὸν πόλεμον... ἢ παρὰ τὸ ἔνω τὸ φονεύω. De origine et significatione vocis unus recte Lobeck Rhem. p. 135 egisse mihi videtur: «Ἐναίρειν Buttmannus simplex esse iudicat a plurali οἱ ἔνεροι derivatum, Aristarchus, ut Lehrsio videtur de Arist. 147 ab ἔναρα propagatum voluit proprieque significare «spoliare», ἔναρα autem dici arma ὅτι ἐνάρηρε αὐτοῖς τὰ σώματα, quorum nihil concedi potest; nam ἐναίρειν semper est occidere (ἐναίρειν χρόα metaphora est ut «trucidare ignem» Lucret.), ἔναρα exuviae, neque ab hoc derivatum est verbum, sed contra ab ἐναίρω ἔναρα, ab hoc rursus ἐναρίζω. Verbum primitivum vel ab illo ἔνω φονεύω propagatum est, cui πέφνον et φένος ὁ θάνατος subiacent, vel idem significat quod ἀναιρῶ ex αἴρω et praepositione coalitum sed obscurata originis memoria et declinatum est quasi simplex ἤναρον et in nomen ἔναρα deflexum, vel si hoc non ita est, quid consilii capiendum sit nescio.» Cum igitur e veteris poesis epicae locis excepto Hes. Scut. 329, ubi ἐξεναρεῖν certo redit ad ἐξήναρον vel augmento neglecto ἐξέναρον neque formari potuit e verbo cum praepositione composito, non certa repeti possint argumenta, quibus de pristina origine et vi vocis iudicemus, in poetis posterioribus indicia non desunt, quibus uti possimus, ut quae hi de vocis natura cogitaverint cognoscamus. Primum enim certum est poetas lyricos et tragicos non accepisse pro composita, cuius prima syllaba sit praepositio ἐν, quod discimus e formis ἔναρεν apud Pindarum Nem. X 15 et Euripidem Suppl. 821,

ἠναίροντ' apud Aeschylum Sept. 796, κατήναρον apud Soph. Ant. 871, ἤναρον apud Euripidem Androm. 1182. Deinde intellegitur nunquam ἐναίρειν significare exuviis spoliare, sed semper occidere, perimere, ut vix rationem habeat suspicari hos poetas ab ἔναρα derivasse hoc verbum: Pind. Nem. III 47 κάρπους τ' ἔναιρε, Nem. X 15 ἐπεὶ ἐν χαλκέοις ὅπλοις Τηλεβόας ἔναρεν, Aesch. Sept. 796 οὕτως ἀδελφαῖς χερσὶν ἠναίροντ' ἄγαν, Soph. Ph. 946 κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρόν, ib. 956 θῆρ' ὀρειβάτην τόξοις ἐναίρων, fr. 657 τοὺς εὐγενεῖς γὰρ κἀγαθούς, ὦ παῖ, φιλεῖ Ἄρης ἐναίρειν, O. C. 843 πόλις ἐναίρεται σθένει: translate «evertere», Ant. 871 θανὼν ἔτ' οὖσαν κατήναρές με. Eur. Ion. 191 Λερναῖον ὕδραν ἐναίρει· ib. 203 τὰν πῦρ πνέουσαν ἐναίρει τρισώματον ἀλκάν· ib. 218 ἐναίρει ὁ Βακχεύς· Hippol. 1129 θῆρας ἔναιρεν· Herc. 367 ἐναίρων πτανοῖς βέλεσιν· ib. 866[1] παῖδας ἐναίρων· Andr. 1182 ἤναρε δαίμων· Suppl. 821 εἴθε με Καδμείων ἔναρον στίχες. At verbi ἐναρίζω (ἐξεναρίζω, κατεναρίζω) pristina originatio ea esse debebat, ut ab ἔναρα deduceretur et significaret exuviis spoliare (cf. M 195 O 343 τοὺς ἐνάριζον ἀπ' ἔντεα· P 187, X 323), deinde autem simplicem occidendi vim induit, ut recte expl. Apollon. Soph. 68, 6 κυρίως μὲν σκυλεύει, καταχρηστικῶς δὲ ἀνεῖλεν (cf. A 191, I 530, alia); posteriores denique poetae promiscue ἐναρίζω et ἐναίρω posuerunt nullo fere discrimine facto: Anacr. fr. 100 Ἄρης ἠνάρισεν ἐν στροφάλιγγι μάχης, Pind. Nem. VI 52 φαεννᾶς υἱὸν εὖτ' ἐνάριξεν Ἀόος ἀκμᾷ ἔγχεος ζακότοιο, Aesch. Ag. 1644 τί δὴ τὸν ἄνδρα τόνδ' ἀπὸ ψυχῆς κακῆς οὐκ αὐτὸς ἠνάριζες, Aesch. Ch. 346 δορίτμητος κατηναρίσθης, Soph. Ai. 26 ἐφθαρμένας λείας ἁπάσας καὶ κατηναρισμένας, Soph. O. C. 1733 ἄγε με καὶ τότ' ἐπενάριζον, Soph. Tr. 94 ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα τίκτει κατευνάζει τε: utrum hic pristina arma exuendi notio servata sit et nox stellis orbata tamquam ἔναρα exuens describatur an potius hic quoque occidendi vis valeat et nox emoriens intellegenda sit, certo dici non potest. Atque circumspicientes quam subiecerint etymologiam hi poetae duos locos invenimus Anacreontis et Sophoclis, e quibus certa colligi posse putem: Anacr. fr. 100 Ἄρης ἐνάρισεν, Soph. fr. 657 φιλεῖ Ἄρης ἐναίρειν: verbum ἐναίρειν et ἐναρίζειν proprium esse Martis his locis cognoscitur et fortasse

---

[1] Cf. v. Wilamowitz l. l. II p. 124.

Anacreon et Sophocles posteriorem vocis partem a stirpe ἀρ, quae etiam Ἄρης nomini inest, derivarunt. Ad quam autem radicem putemus hos poetas priorem verbi partem revocasse? An ad praepositionem ἐν? Hoc fieri non potuisse vidimus. Cum igitur hoc verbum cum praepositione ἐν compositum esse minime credibile sit, nihil aliud restat quam quod iam in Et. M. factum esse videmus et Lobeck proposuerat, ad verbum obsoletum ἔνω i. e. φονεύω confugere et suspicari Anacreontem et Sophoclem censuisse ἐναίρω verbum e duabus radicibus procrevisse et coaluisse, quae in ἔνω et Ἄρης conspicuae sint, ita ut ἐναίρω proprie sit «Martis more interficio, pugna, vi occido.» Hanc igitur etymologiam, quam in Et. M. legimus, antiquam esse colligere licet.

ἐ π ί η ρ α. Apud Homerum tmesin statuendam et ἐπὶ ἦρα scribendum esse recte statuit Buttmann Lexil. I p. 144 sq., nam etiamsi ex Iliadis locis nihil certi affirmari possit, tamen Odysseae exempla illud satis docent atque nihil contra probat, quod recentior Odysseae poeta τ 343 ἐπιήρανος praebet. Sed num idem in Sophoclem cadat, dici non potest et scripturae ἐπίηρα nullam aliam causam habemus quam quod sic traditum est in Laurentiano. Complures sunt huius vocis explicationes, quarum prima traditur a schol. P Q γ 164 ἦρα· ἐπιθυμητά, ἀπὸ τοῦ ἀρῶ ἁρμόζω, altera a schol. A ad A 572 ἐπίηρα· τὴν μετὰ χάριτος ἐπικουρίαν, tertia ab Hesych. ἦρα· χάριν. Apud Homerum significat gratum facere alicui, χαρίζεσθαι neque aliter Sophocles voce utitur O. R. 1094 ἐπίηρα φέροντα τοῖς ἐμοῖς τυράννοις: nihil aliud esse potest ἐπίηρα φέρειν quam χαρίζεσθαι, grata afferre, cum Cithaeronem et antea tamquam Oedipi popularem, altorem, parentem fuisse et tum nuntios exoptatos misisse chorus dicat. Simili modo scholiasta interpretatur: ἐπίηρα φέροντα· ὥσπερ τὰ θυμήρη παρέχοντα τοῖς ἐμοῖς βασιλεῦσιν· ἐνόμιζε γὰρ ὁ χορὸς ἀναγνωρισμὸν ὑπὲρ Οἰδίποδος γίνεσθαι.[1]

---

[1] Vocem ἐπίηρος praebent Lesches, Empedocles, ἐπιηρέστερος Epicharmus (qui etiam ὑγιότερος dixit), ἤρανος Hermesianax (apud Athen. 13 p. 597 d Ἡσίοδον πάσης ἤρανον ἱστορίης et Μουσαῖος Χαρίτων ἤρανος). Quomodo Callimachus vocem acceperit docet fr. 252,

ἔτης. Apud Homerum pluralis tantum legitur et denotantur familiares sive affinitate sive amicitia coniuncti. Hesych. explicat ἔται· ἑταῖροι, συνήθεις, πολῖται, δημόται, φίλοι, ἐπίκουροι.[1] Apud scriptores pedestres non legitur, sed exstat in tit. Eleo I. G. A. 110 αἴτε Fέτας (privatus) αἴτε τελεστὰ αἴτε δᾶμος, quo cum usu plane convenit tragicus. Nam hominis privati notionem, cui opponitur sive magistratus sive totus populus, Aeschylus et Euripides voci tribuerunt: Aesch. Suppl. 253 ἐγὼ δὲ πρός σε πότερον ὡς ἔτην λέγω ἢ τηρὸν Ἑρμοῦ[2] ῥάβδον ἢ πόλεως ἀγόν; Danaides e rege sibi ignoto quaerunt utrum sit homo privatus an templi sacerdos an urbis dux. Itaque apparet ἔτης valere δημότης (unus e populo, homo privatus) atque eodem modo explicanda videntur Aesch. fr. 377 οὔτε δῆμος οὔτ' ἔτης ἀνήρ, Eur. fr. 1014 πόλει μὲν ἄρχων, φωτὶ δ' οὐκ ἔτῃ πρέπων. Hoc Euripidis loco quamquam non sano haec videtur expressa sententia: urbis imperium tenere virum neque popularis speciem habitumque gerere; illis Aeschyli verbis inter se distincti videntur totus populus et unus e populo. Omnibus igitur tragicorum locis ἔτης per hominem privatum vel δημότης explicandum est.

εὐδείελος. Hoc epitheton Ithacae insulae in Odyssea et Crisae urbis ad sinum sitae in hymn. Ap. 438 significat bene conspicuam et eminentem, ut interpretatur schol. H P Q S. M S. Barnes. β 167 Ἰθάκην εὐδείελον· εὐπεριόριστον ἢ εὔδηλον καὶ φανεράν, καθὸ νῆσός ἐστιν. πᾶσαι δὲ αἱ νῆσοι συγκρινόμεναι ἠπείροις εὐδηλότερα ἔχουσι τὰ ὅρια· sed ab aliis solet referri ad δείλη et explicari «bene versus occidentem situs», ut talis locus sole postmeridiano possit facile calefieri, velut a schol. E ad β 167 τὴν πρὸς δυτικὸν μέρος εὖ ἔχουσαν. Pindarus vocem bis posuit: Olymp. I 111 παρ' εὐδείελον ἐλθὼν Κρόνιον, Pyth. IV 76 ἐς εὐ-

---

ubi ἦρα eodem modo posuit quo χάριν c. genet (cf. Schneider delirans ad h. l.) καλῶν ἦρ', deinde fr. 41 ἦρα φιλοξενίης. Omnium ineptissime Homericum vocabulum arripuit Dosiadas ἦρ' ἀρδίων (A. P. XV 26).

[1] Vix recte Wilamowitz scripsit apud Callim. ep. 32 φίλ' ἐτῶν.

[2] Verba τηρὸν Ἑρμοῦ aperte sunt corrupta, sed sacerdotii significatio expressa fuisse videtur.

δείελον χθόνα — Ἰωλκοῦ. Omnes fere Pindari interpretes εὐδείελος apricum intellegunt, sed omnia fere huic interpretationi obstare neque quidquam eam munire patebit. Nam plane corruit collatis verbis Cronium montem describentibus Olymp. X 51 βρέχετο πολλᾷ νιφάδι· recte Metzger explicat: dies war das einzige, was man damals von ihm sagen konnte; jetzt aber ist er berühmt, da er einen altar des Kronos trägt und von vielen opfernden besucht wird. Itaque qui εὐδείελον apricum intellegunt Ol. I 111, ii supponunt in verbis illis Ol. X 51 latere Cronium montem antea nivosum Iovis sacro ab Hercule condito factum esse apricum. Sed haec sententia non est Pindari, sed ineptorum interpretum, qui firmare studebant suam opinionem afferentes Ol. III 23 ἀλλ' οὐ καλὰ δένδρε' ἔθαλλεν χῶρος ἐν βάσσαις Κρονίου Πέλοπος. τούτων ἔδοξεν γυμνὸς αὐτῷ κᾶπος ὀξείαις ὑπακουέμεν αὐγαῖς ἀελίου. Facile autem intellegitur hoc loco non sermonem esse de ipso Cronio monte, sed, ut recte Dissen explicat, de valle Olympica sita inter duo iuga montium, quam apricam esse illa verba indicant. Ergo per εὐδείελος epitheton monti appositum hoc Pindari loco denotari Cronium bene conspicuum, eminentem nihil est liquidius. Quam significationem in altero quoque Pindari exemplo, quod ad Iolcum pertinet, valere apparet. Iolcum urbem intra sinus Pagasaei littus maritimum et montis Pelii radices sitam non facile apricam vocari, sed potius epitheton aliquod contrarium accipere posse per se ipsum patet. Huc accedit, quod Iolcus in colle arduo sita fuisse videtur,[1] ut bene conspici posset advenientibus a sinu Pagasaeo atque epitheton εὐδείελον apte accipere.

εὔκηλος apud Homerum est non perturbatus, quietus, tranquillus, securus, sine cura et molestiis, et eiusdem radicis ac notionis quam invenimus in ἕκηλος. Atque eodem modo tragici vocem in suum usum converterunt: Soph. El. 241 μήτε ξυνναίοιμ' εὔκηλος i. e. tranquillus, quietus, securus. Eur. Iph. A. 644 ὡς οὐ βλέπεις εὔκηλον, ἄσμενος μ' ἰδών i. e. tranquillus, non perturbatus.

---

1 Cf. Leake, Northern Greece, IV p. 379.

εὐρύοπα. Hanc vocem bifariam explanant veteres et recentiores grammatici, velut Et. M. 396, 54 εὐρύοπα· ἤτοι μεγαλόφθαλμον παρὰ τοὺς ὦπας, ἢ μεγαλόφωνον παρὰ τὴν ὄπα. In poesi epica semper Iovis epitheton est et μεγαλόφωνον significare videtur. Quo sensu posteri poetae vocem acceperint, satis apparet e Pind. fr. 238 (Boeckh) χορὸς εὐρύοπα κέλαδον φθεγγόμενος i. e. «late sonantem» vocem. Ergo Pindarus εὐρύοπα intellexit μεγαλόφωνον.

εὐρώεις.[1] Quae huius adiectivi, quod apud Homerum et Hesiodum semper ad Orcum pertinet, sit vis, inter veteres et recentes grammaticos controversia est, alii ad εὐρύς, alii ad εὐρώς vocis etymologiam referentes, velut Eust. 1196, 18 ἢ τὰ πλατέα, παρὰ τὸ εὖρος, ἢ τὰ σεσηπότα παρὰ τὸν εὐρῶτα. Apud Homerum et Hesiodum putridi notio certa est, quod maxime elucet e Th. 731 χώρῳ ἐν εὐρώεντι, cum praecesserit v. 729 ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι, ita ut illud per hoc illustretur. Sophocles semel praebet vocem Ai. 1167 τάφον εὐρώεντα; ad quem locum Hermann de verbo εὐρώεις haec disserit: «Miras huius vocabuli interpretationes peperit derivatio ab εὐρώς. Ab εὐρὺς poetica terminatione factum εὐρώεις significationem induit sono vocis consentaneam, ut non simpliciter latum, sed vastum notaret ... Eadem origo vocabuli εὐρῶδες v. 1169.» Non recte haec vir egregius disputasse mihi videtur. Nam Sophoclem putridi vel caliginosi notionem verbo imposuisse inde apparere mihi videtur, quod τάφον hoc epitheto ornavit. Fac enim recte eos interpretari, qui cum de Orco, ut semper locis Homericis, agatur, εὐρώεις vastum intellegunt, quod tamen vix rationem habet, hanc vero

[1] Nauck Mél. Gr. Rom. IV p. 115 per scribendi errorem εὐρώεις adiectivum pro ἠερόεις in veterum poetarum codices irrepsisse coniecit atque nuper Hermae vol. XXIV p. 448 e Sophoclis loco expulit, cum scriberet τάφον ἠρῷόν τε· vix recte. Nam etiamsi in Homeri carminibus illud factum esse putaremus, tamen inde minime efficitur idem in Sophoclem cadere, sed potius iam Sophoclis temporibus εὐρώεις scripturam fuisse vulgatam in Homero sumendum est. At omnino εὐρώεις adiectivum quamquam anomalia quadam ex εὐρώς, εὐρῶτος formatum, tamen analogia non caret, cum conferamus κεραός, κεραοξόος a κέρας, κέρατος derivata.

vastitatis vim in Sophocle statuere non licet. Nam loco Sophocleo Orcum, domicilium Aiacis apud inferos, indicari non sinit sententia, quippe cum verbis σπεῦσον κοίλην κάπετόν τιν' ἰδεῖν τῷδ', ἔνθα βροτοῖς τὸν ἀείμνηστον τάφον εὐρώεντα καθέξει diserte tumulus significetur, ut τάφος domicilium apud inferos an sepulcrum humo conditum sit ambiguum esse nequeat. Quae cum ita sint, explicationem, quam scholia et lexica passim afferunt, ab Hermanno probatam εὐρώεις idem fere esse quod εὐρύς, apud Sophoclem reiiciendam esse censeo. Nam minime vastitatis, sed optime putredinis notio cadit in sepulcrum humo conditum, quod bene scholiasta σεσημμένον, σκωληκῶδη vertens perspexit.

ἠλίβατος. Obsoletum fuisse hoc vocabulum inde elucet, quod e vetustioribus scriptoribus Xenopho solus vocem eamque plane ad exemplum Homericum usurpat An. 1, 4, 4 ἠλίβατοι πέτραι, posterioribus vero temporibus in dialectum quae κοινή vocatur recepta legitur apud Polybium, Strabonem, Plutarchum. Quae fuerit adiectivi in poesi epica originatio et significatio, non satis constat. Hesych. ἠλίβατον· ὑψηλήν, ἄβατον, ἧς ἐστιν ἀλιτεῖν βαίνοντα, δυσπρόσβατον· ἄλλοι δὲ ἣν ἥλιος πρώτην βάλλει· οἱ δὲ τὴν ἁλὶ βεβηκυῖαν. Στησίχορος (fr. 83) δὲ Τάρταρον ἠλίβατον τὸν βαθὺν λέγει· ἔνιοι ἠλίφατον ἀποδιδόασιν, ἡλίῳ φαινόμενον. Usum vocis, qua apud Homerum πέτρα tantum, apud Hesiodum ἄντρον quoque, in hym. Ven. 267 δρύες ornantur, Buttmann Lexil. II 176 recte hunc statuisse videtur, ut idem sit quod ἄβατος vel δύσβατος et «altum» significet, ut intellegendus sit aut ὑψηλός aut βαθύς. Quod si sumimus, in plurimis posteriorum quoque poetarum exemplis haec pristina vis clare cernitur et servatur. Theogn. 176 πετρέων . . . κατ' ἠλιβάτων, ubi cum sit oppositum ἐς βαθυκήτεα πόντον, vox nihil aliud nisi ὑψηλός valere potest. At Stesichorus cum fr. 83 Tartarum ἠλίβατον vocet, hic usus certo ad «alti» explicationem redit. Pind. Ol. VI 64 ἵκοντο δ' ὑψηλοῖο πέτραν ἀλίβατον Κρονίου : excelsi significatio statuenda est. Plane Homericus est locus Aesch. Suppl. 355 ἀμ πέτραις ἠλιβάτοις i. e. in rupibus excelsis, et Eur. Suppl. 81 ἀλιβάτου πέτρας i. e. excelsae rupis. At cum Euripides fortasse ad Stesichori exemplum Hipp. 728 ἠλιβάτοις ὑπὸ κευθμῶσι i. e. altis sub latebris praebeat, manifestum fit eum clare sensisse no-

tionem avii, accessu difficilis in ἠλίβατος inesse, ut de excelsis et profundis locis usurpari posset. Quod autem attinet ad etymologiam, ut Hesiodi et Stesichori locis, ita Euripidis usui derivationem ab ἥλιος non subesse certum est.

θ ί ς. Quae notio vocis propria et primaria sit, dubium est, quare multiplex est eius definitio apud lexicographos, praecipue apud Hesychium θίς. ὄχθος, βουνὸς ἀμμώδης, αἰγιαλός, θάλασσα, σωρὸς κυμάτων, τὸ κάτω βάθος τῆς θαλάσσης, ἡ ὀστέων σωρός. Apud Homerum haec distinguenda sunt: 1. παρὰ θῖνα θαλάσσης (ἁλός) i. e. litus (recentiores Odysseae poetae idem habent sine θαλάσσης vel ἁλός). 2. θίς est cumulus uno loco μ 45 πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς ἀνδρῶν πυθομένων, si quidem recte sic locus explicatur. Sed sine dubio hanc explicationem novit Aeschylus, Pers. 820 θῖνες νεκρῶν quod dixit, quam etiam in fr. 321 θινὸς ἐμβολὰς ἁλός (ἐμβολάδος Hermann) valere Et. M. 450, 34 affirmat. At priorem litoris significationem invenimus in imitatione parodica Hipponactis fr. 85, 4 παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο et in Euripidis Andr. 109 ἀγόμαν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης. Sophocles duos habet locos: Ant. 591 ἔρεβος ὕφαλον κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν θῖνα: de procella ex imo mari nigram arenam vel limum proturbante et volvente dicitur, θίς igitur est maris arena. Eandem significationem statuendam esse existimo loco Phil. 1124 πολιᾶς πόντου θινὸς ἐφήμενος, ubi maris arenae in litore iacentis notio aptissima est et litus ipsum intellegere iustum sensum non praebere videtur, cum epitheton πολιᾶς minime litori, sed optime arenae conveniat. Attamen si Hermannum et Lobeckium ad Ai. 7 sequentes hypallagen quandam πολιᾶς epitheti rectius mari accomodandi statuendam putamus, quod Sophoclem Homericum θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς imitatione sua expresisse verisimile sit, alia quoque litoris significatio admitti potest. Sed utcumque hoc se habet, ex usu Sophocleo apparet iam tragicorum aetate duas notiones litoris et acervi ita inter se coniunxisse grammaticos, ut dicerent «arenam» esse primariam vocabuli vim.

θ ο ό ς apud Homerum velocitatis et inde alacritatis notionem habet, sed alia subest vis uno loco ο 299 ἔνθεν δ' αὖ

νήσοισιν ἐπιπροέηκε θοῇσιν, ubi θοός esse ὀξύς et insulas acutas significari certum erit, si contuleris verbum denominativum θοόω, quod acuendi vim habet ι 327, et Strab. p. 351, 459, Steph. Byz. s. v. Ἐχῖναι.[1] At Pindarus et tragici cum in suum usum verterent vocabulum, nullam aliam quam celeritatis vel alacritatis notionem ei tribuerunt, cuius usus multa praebent exempla. Itaque ea tantum apponam, ubi dubitatur de loci interpretatione: Pind. fr. 162 πίτναντες θοὰν κλίμακ' ἐς οὐρανὸν αἰπύν: vix recte novam voluit indere significationem adiectivo grammaticus apud Cram. An. Ox. I, 201, 14, cum verterent μεγάλην; nam πίτναντες θοὰν κλίμακα idem esse quod πίτναντες θοῶς κλίμακα verisimile videtur, si conferimus Homeri θοὴν ἀλεγύνετε δαῖτα. Neque alia quam celeritatis notio tribuenda videtur alteri loco ibidem tradito θοαῖς ἀφροσύναις, ubi grammaticus ille explicat μεγάλαις, si modo recte hic locus ad Pindarum refertur (cf. Bergk ad Pind fr. 162). Soph. Tr. 857 θοὰν νύμφαν ἄγαγες: non recte Ellendt inesse inventae pavidae adsignificationem iudicavit, cum ut apud Pindarum πίτναντες θοὰν κλίμακα, ita hic θοὰν νύμφαν ἄγαγες dictum sit pro θοῶς νύμφαν ἄγαγες.[2]

ἰότης. Quae sit huius vocis originatio et interpretatio, non satis constat. Varias affert secundum locos singulos excogitatas versiones Hesych. ἰότητι· βουλήσει, θελήσει, αἰτίᾳ, ὀργῇ, χάριτι. Apud Homerum vox significat voluntatem, desiderium, consilium et non usurpatur nisi de personis, plerumque deis, quorum voluntate, desiderio, consilio aliquid fit eodemque modo Alcaeus vocabulo utitur fr. 13 A τὸ γὰρ θεῶν ἰότατ' ὔμμε λαχόντων γέραι ἄφθιτον ἀνθήσει, quo loco corrupto θεῶν ἰότατ' coniungendum esse apparet, ut sit βουλήσει vel χάριτι. Aeschylus semel hoc vocabulum praebet Pr. 577 ἀμφὶ λουτρὰ καὶ λέχος σὸν ὑμεναίουν ἰότατι γάμων. Qua vi poeta verbum posuerit, difficile est dictu.

---

[1] Hanc acuti interpretationem sine dubio novit Apoll. Rhod. cum doctrinam ostentans scriberet III 1281 θοῶν ἔμπλειον ὀδόντων, II 79 θοοῖς γόμφοις, IV 1683 θοοῖς πελέκεσσιν.

[2] Quomodo Hermesianax hoc vocabulum intellexerit, cum scriberet Βιττίδα μολπάζοντα θοήν (cf. Athen. p. 598 f.), non apparet, nisi forte solitam celeritatis vim exemplo inesse iudicas.

Quod protulerunt scholiasta explicans πορείᾳ, ἤγουν ἐν συνόδῳ γάμων, παρὰ τὸ ἰέναι πρὸς συνουσίαν i. e. in itinere nuptiali et Blomfield ἰότης laetitiam intellegens, minime probabile mihi videntur. Multo verisimilius est, quod Dindorf Aeschylum pro ἕκατι posuisse iudicat hoc vocabulum. Nam ut ἕκητι apud Homerum et Hesiodum de deorum tantum gratia, voluntate, favore, apud posteriores de rebus aliquid efficientibus usurpatur,[1] ita idem cadit in ἰότητι, quod apud Homerum de personis alicuius rei auctoribus, apud Aeschylum de re effectrice ponitur.

κλυτός. Satis notae sunt definitiones quas affert Hesych. κλυτοί· ἔνδοξοι, ἀγαθοί, καλοί, τίμιοι, πολλοί· ἢ πανταχοῦ κηρυττόμενοι· Huius significationis, quae omnibus Homeri locis exstat, exempla praebent omnes fere poetae, quae cum vulgaris et communis sit hic sermonis usus, neglegenda sunt. Sed unum exemplum non praetermittendum esse puto utpote apertam Homeri imitationem, quae aliam notionem prae se ferre videtur: Soph. Ai. 375 ἐν κλυτοῖς πεσὼν αἰπολίοις, schol. κλυτὰ λέγει τὰ αἰπόλια, διὰ τὰς ἐν αὐτοῖς ταραχὰς καὶ φωνάς· si certam in animo habuisse significationem Sophoclem hoc loco existimamus, quod diiudicare difficillimum est, huic scholiastae interpretationi assentiendum esse puto. Sophoclem enim his verbis Homericum illud de ovibus Cyclopis dictum 1308 κλυτὰ μῆλα imitatum esse constat. Sed ut haud dubie Homeri loco recte interpretantur, qui eximias, laude dignissimas pecudes explicant, inter quos est Eustathius 1630, 58 exponens κλυτὰ λέγει διὰ τὸ πλῆθος, ἢ διὰ τὸ καλλίτριχον, ἢ διὰ τὴν πιότητα, ita Sophoclis loco recte explicant, qui greges clamorem et strepitum edentes significari volunt. Nam intellegi non potest, quid hoc loco significent greges eximii, cum minime recte et apte pecudes bello captae id cognomentum acciperent, quod de Cyclopis grege omni modo culto optime dictum est. Qui greges eximios intellegunt apud Sophoclem, ironice dictum esse κλυτός putant. Sed Aiacem summo animi dolore percussum per ironiam dicentem fingi haud credibile videtur; immo longe verisimilius est greges balantes et clamantes intellegendas esse.

---

[1] Cf. Pind. Aesch. Soph. Eur.

κ ρ α ι π ν ό ς apud Homerum significat rapidum, celerem, vehementem, sed aliam interpretationem subministravit schol. B ad N 18 κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς· εἰ συνεχές, φησί, προέβαινε, πῶς παρακατιὼν φησι «τρὶς μὲν ὀρέξατο»; ἢ τάχα τὸ κραιπνὰ ἀντὶ τοῦ πρόθυμα καὶ ἰσχυρά. Hanc interpretationem Pindarus uno loco expressisse videri possit fr. 133, 4 σθένει κραιπνοί, sed cum ceteris exemplis, quae leguntur apud Pindarum, vulgaris celeritatis notio imposita sit Pind. Pyth. IV 90 Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνόν, Pyth. IV 209 κυλινδέσκοντό τε κραιπνότεραι ἢ βαρυγδούπων ἀνέμων στίχες, non est cur uno loco aliam vim statuamus, praesertim cum σθένει κραιπνοί optime vertatur «robore rapidi, prompti». Aeschylus et verbo simplici et compositis celeritatis significationem subiecit Pers. 96 κραιπνῷ ποδί: secundum usum epicum, Prom. 295 κραιπνόσυτον θᾶκον προλιποῦσα, Prom. 135 κραιπνοφόροι δέ μ' ἔπεμψαν αὖραι.

λ ε υ γ α λ έ ο ς nunquam apud Homerum significat humidum, sed perniciosum (cf. Lehrs l. l. p. 106). Huius observationis Aristarcheae ideo factae, quod recentiores poetae male intellecto loco Homerico Φ 281 humidi notionem vocabulo subiiciebant, saepius in scholiis mentio fit, velut a schol. A ad Φ 281 (νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι) ὅτι ἐκ τούτου οἱ νεώτεροι ἐξεδέξαντο λευγαλέον τὸν δίυγρον· ἔστι δὲ κατὰ κοινωνίαν στοιχείων λευγαλέον ὀλέθριον, παρὰ τὸν λοιγόν. καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ (2, 61) «λευγαλέοι τ' ἐσόμεσθα». Similiter schol. V. ad Φ 281 λευγαλέῳ· χαλεπῷ, οὐ διύγρῳ, ὡς Ἡσίοδος. τί γὰρ ἐπὶ τοῦ «λευγαλέοι τ' ἐσόμεσθα». Hinc error ortus: λευγαλέος in β 61 est debilis, quod illis non videbatur ab eadem perniciei notione derivari posse. Item legitur apud Hes. op. 525 ἐν ἤθεσι λευγαλέοισι i. e. humidis, nam polypus in aqua habitat.[1] Itaque illi λευγαλέος cum λυγρός coniunxerunt, hoc autem ab ὑγρός deduxerunt. Quin apud Sophoclem fr. 717 μύρῳ λευγαλέα (sec. Nauckii emendationem) hoc adiectivum humidi significationem habeat, non licet dubitare, quoniam duobus testimoniis firmatur, altero Phot. Lex. p. 216, 16 λευγαλέα· διάβροχος· οὕτω Σοφοκλῆς, altero Et. M. p. 561, 28

[1] Ergo Lehrs l. l. non recte iudicat scholiastam Hesiodum finxisse.

λευγαλέον· τὸ ὑγρόν· παρὰ Σοφοκλεῖ «μόρῳ λευγαλέῳ». Sed nondum evanuisse pristinam notionem epicam apud posteros poetas elucet e Theogn. 1174 λευγαλέου κόρου, ubi λευγαλέος «perniciosum» interpretari necesse est. Itaque Sophocles unus Hesiodo se addixit, reliqui Homero.

λ ε υ ρ ό ς. Explicant hoc adiectivum grammatici per πλατύς, ὁμαλός (cf. Apoll. Soph. 108, 4). Vox semel apud Homerum η 123 λευρῷ ἐνὶ χώρῳ lecta significat locum planum vel late patentem neque aliter posteriores poetae hoc adiectivum in suum usum convertisse videntur. Pindari loco Nem. VII 27 ὁ καρτερὸς Αἴας ἔπαξε διὰ φρενῶν λευρὸν ξίφος quamquam non certa est notio, tamen gladii «lati» interpretatio ulla alia aptior videtur et perperam alii voluerunt «levem» gladium intellegere. Nam quod Aiax καρτερός suum pectus perfodit lato gladio, multo efficaciorem reddit sententiam quam si aliam explicationem sequimur. Aeschylus qua significatione posuerit λευρός, apparet e Pr. 410 λευρὸν οἶμον αἰθέρος, ubi de aethere late patente hanc vocem dici perspicuum est. Eandem notionem imposuit vocabulo poeta Suppl. 517 λευρὸν κατ' ἄλσος, et Pr. 385 τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευροὺς γύας. Quare e duabus scholiastae Aeschylei interpretationibus ad Pr. 410 λεπτὸν καὶ πλατύν accipienda est πλατύς atque levem interpretari omnino sensum non efficit apud Aeschylum. Eidem interpretationi Euripides se applicavit : Hec. 700 ἔκβλητον, ἢ πέσημα φοινίου δορός, ἐν ψαμάθῳ λευρᾷ i. e. in maris arena plana et late patente ; Bacch. 982 λευρᾶς ἀπὸ πέτρας i. e. e plana rupe, quippe in qua consistendi et speculandi facultas sit ; Phoen. 836 δεῦρ' ἐς τὸ λευρὸν πέδον ἴχνος τιθεῖσ' ἐμόν i. e. in planum solum. Itaque hi poetae nullam aliam quam lati, plani notionem noverunt.

λ ι σ σ ά ς.[1] Forma epica λισσός apud tragicos non exstat, sed semper λισσάς legitur cum πέτρα coniunctum, sive Aeschylus primus ut Suppl. 803 κρεμάς, γυπίας, ita eodem loco formavit λισσάς, cum λισσή formam metrum non admitteret, quem usum

[1] Cf v. Wilamowitz l. l. II p. 252.

imitatus Euripides eandem formam exhibet, sive iam in vetere poesi epica λισσάς exstabat. Et. M. 567, 12 de vi vocis haec docet: λισσή· λισσῇ ἐπικέλλεται νήσῳ. λισσὸν τὸ ὁμαλόν· παρὰ τὸ λίαν ἴσον· Ἀμερίας δὲ ἐπὶ τοῦ ὑψηλοῦ αὐτὸ λαμβάνει, et Hesych. λισσόν· ἄναντες, ἀπότομον, ὑψηλόν, ἔλασσον, ἄθλιον. Apud Homerum dubium esse non potest, quin λισσός sit levis, cum eandem habeat radicem quam λίς, cuius significatio levitatis certa est (cf. μ 79 πέτρη γὰρ λίς ἐστι, περιξέστῃ εἰκυῖα). At aliter de tragicorum usu statuendum videtur. Ex illo quidem loco Aesch. Suppl. 802 λισσὰς αἰγίλιψ ἀπρόσδεικτος οἰόφρων κρεμὰς γυπιὰς πέτρα nihil disci potest, cum variis rupis epithetis cumulatis quid sit λισσάς non satis pateat, ita ut spectare possit aut ad eius levitatem aut altitudinem. At quae Euripidis locis notio subsit, certo dici potest: Herc. 1148 κοὐκ εἶμι πέτρας λισσάδος πρὸς ἅλματα: cum λισσάς hoc loco esse epitheton ornans minime sit credibile neque conveniens consuetudini Euripideae, altitudinis notio desideratur neque ulla alia admitti potest, nam praecipitem et altam dici rupem, de qua Hercules se deiicere cupit, necessarium est. Eodem sensu dictum esse oportet Androm. 533 στάζω λισσάδος ὡς πέτρας λιβὰς ἀνήλιος: imago de praecipite, ardua rupe sumpta est, de qua aquae non cadunt, sed ruunt. Itaque λισσάς apud tragicos est arduus, praeceps.

μ α λ ε ρ ό ς. Discrepant inter se huius vocis explicandae rationes. Diversas inter se explicationes coniungit Hesych. μαλερόν· καυστικόν, μαραντικόν, ὀξύ, λαμπρόν, ἰσχυρόν, ἀσθενές. Apud Homerum et Hesiodum solum μαλερὸν πῦρ legitur, qua in locutione adiectivum non tam ignis ardorem vel splendorem quam vim vehementem et omnia haurientem denotat. Pindarus translato sensu posuit vocem Ol. IX 22 πόλιν μαλεραῖς ἐπιφλέγων ἀοιδαῖς: cum igne comparat poeta carmina sua, quippe quibus insit igneus ardor, splendor, vis. Itaque μαλερός Pindaro non fuit μαραντικός, sed potius λαμπρός, ardens, splendens. Aeschylus et Sophocles eam interpretationem, quae hanc vocem μαραντικόν valere docuit, amplexi de personis, animalibus, rebus, quorum natura est deletrix, eam usurpant. Locos Homericos de igne positos Aeschylus imitatur Ch. 324 πυρὸς μαλερὰ γνάθος· similiter

de leonibus dictum est Ag. 147 μαλερῶν λεόντων. Ad desiderium homines macerans transtulit vocabulum Pers. 63 πόθῳ στένεται μαλερῷ. Sophoclis loco O. R. 190 Ἀρέα τε τὸν μαλερόν, ubi pestilentia homines consumens Mars vocatur, adiectivum μαλερός simili sensu ponitur, ut apud Homerum ἀΐδηλος de eodem Marte dictum. Itaque uterque tragicus novit solum μαραντικόν i. e. καταναλίσκον (τὸ πῦρ κτλ.). Neque aliter Euripides usurpavit vocem Tro. 1300 μαλερὰ μέλαθρα πυρὶ κατάδρομα δαΐῳ τε λόγχᾳ: sunt qui putent significari domus ingentes, tamen haec interpretatio parum apta videtur, cum μαλερός eam notionem vix induere possit, immo pro certo habendum est in Euripidis exemplo ignis notionem non evanuisse, sed contra in verborum conexu clare conspicuam esse. Cum enim πυρὶ κατάδρομα additum sit, haec verba satis indicant in μαλερός quoque ignis notionem inesse. Vix autem dicere licet, quod plerumque fit, Euripidem suo more notionem novasse, ut ex activa μαραντικός passivam igne deleti et exstincti eliceret, sed potius nulla alia ratione locum explicandum esse puto quam qua hypallagen quandam epitheti μαλερός rectius igni tribuendi statuamus, ita ut μαλερὰ μέλαθρα πυρὶ κατάδρομα audaci quidem modo dictum sit pro μέλαθρα μαλερῷ πυρὶ κατάδρομα. Intellegitur igitur omnes tragicos eodem modo hanc vocem usurpasse neque ullam aliam quam μαραντικοῦ notionem cognitam habuisse, Pindarum autem solum aliam secutum esse interpretationem, qua vocem per λαμπρός, ardens, splendens vertit.

μέλεος apud Homerum alii μάταιος explicarunt, alii τάλας intellexerunt. De usu Homerico et tragico inter se diverso adnotat schol. A ad Π 336 (μέλεον δ' ἠκόντισον ἄμφω) ὅτι μέλεον ἀντὶ τοῦ μελέως, ματαίως, καὶ διὰ παντὸς οὕτως Ὅμηρος χρῆται. οἱ δὲ τραγικοὶ ἐπὶ τοῦ οἰκτροῦ καὶ τάλανος (cf. Lehrs l. l. p. 94). E scriptoribus Plato hanc vocem praebet. Apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, qui saepissime ea utuntur, constanter hac voce τάλας vel οἰκτρός significatur, itaque tragici non ab Homero pendent, sed fortasse ab Hes. Theog. 563 οὐκ ἐδίδου μελέοισι [1] πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο, modo vera sit Stephani emendatio.

---

[1] Sic Stephanus, μελίοισι vel μελίῃσι codd.

μέροπες. Variae sunt et diversae lexicographorum atque grammaticorum et veterum et recentiorum sententiae, quae ad hoc verbum Homericum intellegendum faciunt. Neglectis incredibilibus[1] vel absurdis[2] grammaticorum derivationibus et interpretationibus duae potissimum explicandi rationes ut hodie ita olim valuisse videntur, altera schol. A B L ad A 250 μερόπων ἀνθρώπων· μεμερισμένην τὴν φωνὴν ἐχόντων, ὡς πρὸς σύγκρισιν τῶν ἄλλων ζώων· ὅ ἐστι μεριζομένην εἰς συλλαβὰς καὶ ἔναρθρον ἐχόντων τὴν ὄπα, τουτέστι τὴν φωνήν i. e. homines «voce praediti» vel «qui articulate locuntur», altera Et. Gud. 388, 6 μέροπες· οἱ μορητικοὶ καὶ κακοπαθεῖς i. e. mortales et mala perpetientes. In poesi epica hoc verbum cum ἄνθρωποι vel ἄνδρες vel βροτοί coniunctum legitur et sine dubio «mortalem» significat neque desciscere videtur ab hac notione μερόπεσσι βροτοῖσιν (B 285), cum conferamus θνητοῖσι βροτοῖσιν (γ 3) et νέκυες κατατεθνεῶτες. Utram notionem Aeschylus huic vocabulo inderet Ch. 1016 οὔτις μερόπων ἀσινῆ βίοτον διὰ πάντ' ἄτιμος ἀμείψεται, et Suppl. 94 μερόπεσσι λαοῖς, iam Lechner de Aesch. st. Hom. p. 17 recte exposuit: «Quam autem vim putemus Aeschylum subiecisse sub hac voce? An credamus poetam cothurno ingredientem dixisse homines ,voce praeditos', ut discerneret a bestiis? Immo cognoscitur ex Aeschyli locis intellectum esse μέροπας alia vi, quae alia esse non potest nisi ,mortales', ut a radice M E P, mor- sit derivatum . . . Optime autem ab Aeschylo illo Supplicum loco Deo Iovi opponuntur homines mortales, neque μέροπας dicere potuit homines non addito substantivo, nisi mortales eos appellavit. Et praeclare convenit illi Choephororum contico notio mortalium, quorum nemo vitae cursum peragere possit invexatum!» Eodem modo quo ab Aeschylo Ch. 1016, ab Euripide substantivi loco haec vox ponitur Iph. T. 1264 πολέσιν μερόπων et eandem vim «mortalium» inesse exemplo Euripideo necesse est. Itaque horum poetarum temporibus nullam aliam

---

[1] Schol. B V ad Σ 288 μέροπες· οἱ δὲ τὴν κτῆσιν μερισθέντες.

[2] Et. Gud. 388, 6 μέροπες . . . ἄλλοι δὲ τοὺς ὑπὸ ὅρον πεπτωκότας, οἷς κατὰ τοὐναντίον μάκαρες, οἱ μὴ κῆρα ἔχοντες, οἱ ἀθάνατοι, quod pertinet ad Coorum fabulas.

quam «mortalium» significationem notam fuisse colligendum est.[1]

μηκάς apud Homerum est epitheton caprae et ponitur de eius voce, ut sit mutiens. Sed alias quoque definitiones affert Hesych. ἡ αἱ μηκώμεναι αἶγες, ἡ κραυγάστριαι· ἔνιοι δὲ τὰς κερατώδεις· μῆκα γὰρ τὰ κέρατα. Ἀπίων δὲ τοκάδας. Sophocles plane usui epico se addixit, si modo vera est Duentzeri Philol. 3, 138 coniectura fr. 468 αἰγός τε πελλῆς μηκάδος,[2] ubi significatio vocis nulla alia esse potest quam mutiens. Cum vero Euripides in Cycl. 187 μηκάδων ἀρνῶν adiectivum femininum μηκάδες coniungeret cum ἄρνες, quod est generis communis, tantummodo de ovibus vel agnis agi potest; cum autem oves vel agni praeter arietes non sint cornibus ornati, cornuti notio plane aliena est a loco Euripideo neque ulla alia admitti potest quam mutientis vel balantis.

μῶνυξ et μώνυχος. Harum altera forma, quae est aut nominativus a genetivo anadrome facta ortus aut forma Ionica,[3] semel apud Euripidem legitur, sed utrum eam e poesi epica hauserit an ipse conformaverit e μῶνυξ, diiudicari nequit. Huius vocis, quae apud Homerum semper est equi epitheton, unam tantum interpretationem veteres grammatici novisse videntur, quam praebent et alii et Hesychius explicans μῶνυξ· ὁ μίαν ὁπλὴν ἔχων. Sed multo aptius et verisimilius voce μῶνυξ equus «ungulis festinans» notatur a poetis epicis. Apud posteros poetas hi loci exstant:

Solon. fr. 23 (= Theogn. 1253)

ὄλβιος ᾧ παῖδές τε φίλοι καὶ μώνυχες ἵπποι
καὶ κύνες ἀγρευταὶ καὶ ξένος ἀλλοδαπός.

---

[1] Neque aliter Alexandrini vocem usurpabant, nisi quod variis modis originem vocabuli explicare studebant.

[2] Pro Erotiani Gl. Hippocr. p. 109, 7 κυνὸς πέλλης τε μηκάδος βοὸς ῥηνέων, quae confusa esse cum fr. 110 ἔνθ' οὔτε πελλῆς οἰὸς ἄγραυλος βότος Düntzer recte iudicasse videtur, praesertim cum minime verisimile sit Sophoclem ita plane decessisse ab usu epico, ut epitheton, quod proprium est vocis mutientis caprarum ad boum mugitum transferret.

[3] Cf. φύλαξ, Ionice φυλακός; deinde ὦλξ, αὖλαξ, sulcus.

Theogn. 1255

ὅστις μὴ παῖδάς τε φιλεῖ καὶ μώνυχας ἵππους
καὶ κύνας, οὔποτέ οἱ θυμὸς ἐν εὐφροσύνῃ.

Theogn. 987

τῆμος δ' ἠέλιος μὲν ἐν αἰθέρι μώνυχας ἵππους
ἄρτι παραγγέλλοι μέσσατον ἦμαρ ἔχων.

Eurip. Phoen. 792 μώνυχα πῶλον.

Quam vim putemus hos poetas indidisse huic voci? An credamus poetas elegiacos et tragicum dixisse equum «unungulum»? Immo cognoscitur ex his omnibus fere locis intellectum esse μῶνυξ alia vi, quae alia esse non potest nisi «celeribus ungulis praediti» vel «ungulis festinantes». Nam omnibus his locis desiderari equi epitheton, quo eius virtus in pedum celeritate posita praedicetur et illustretur, facile perspicitur, imprimis e Solonis fr. 23, Theogn. 1255, ubi laudibus effertur equus, Eur. Phoen. 792. Aptissime autem hoc Phoenissarum loco pullus equinus dicitur «celeribus ungulis ornatus», quod epitheton eius alacritati accommodatissimum est, et minus recte et apte «solidis ungulis ornatum» explicares. Aliam vero interpretationem nisi celeritatem praedicantem apud Euripidem nullo modo ferri posse clare elucet ex Iph. A. 250 ἐν μωνύχοις... πτερωτοῖσιν ἅρμασιν, quod epitheton currui appositum nihil aliud nisi currum «celerem» significare potest. Confirmatur igitur hac disputatione μῶνυξ antiquis horum poetarum temporibus valuisse «ungulis festinantem» vel «celeribus ungulis ornatum» et plane alienam esse grammaticorum explicationem equorum «unungulorum» a locis allatis.

ν ή π ι ο ς. In etymo dubio vocis significatio primaria non satis certa est. Hesych. expl. νήπιον· νεογνόν, νεώτερον, μικρόν, ἀνόητον, ἄφρον, ἢ ἀφρονέστερον. Apud Homerum et Hesiodum vocabulum aut ad infantiam aut ad stultitiam vel imprudentiam relatum invenitur. At cum in Cypr. fr. 22 legatur

νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει,

hanc quae apud Homerum et Hesiodum valet stulti interpretationem loci sententiam non satis assequi et explere et vocem non tam ad mentis perversitatem quam ad animi et morum pravitatem pertinere apud Cypriorum poetam existimo. Plane idem cadit in

Sophoclis duos locos, quibus praebet hoc verbum: El. 145 νήπιος, ὃς τῶν οἰκτρῶς οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται, O. R. 652 τὸν οὔτε πρὶν νήπιον, νῦν τ' ἐν ὅρκῳ μέγαν καταιδέσαι: utroque loco agitur de morum indole et natura et stulti notio non plane poetae sententiam exprimit. Itaque νήπιος animi et morum pravitatem adsignificat et a nefarii notione proxime abest; quare Sophoclem poeta Cyprio praeeunte eam etymologiam, quae e νη privativo et ἤπιος vocem compositam esse docuit, subiecisse facile suspiceris (cf. Et. M. 603, 14 παρὰ τὸ ἤπιος, πλεονασμῷ τοῦ ν). Ceteris posteriorum poetarum locis usitata notio epica, quae aut aetatem parvam aut mentem stultam praedicat, valet, ut apud poetas lyricos, Aeschylum, Euripidem, qui saepe voce utuntur. Itaque Sophocles unus singulari carminis cyclici usui se addixit, reliqui vulgari consuetudini epicae.

νώνυμνος. Apud Homerum et formam νώνυμνος et νώνυμος invenimus, sed tragici νώνυμος solam praebent, cum Pindarus, cuius loci vocalem υ productam exhibent, νώνυμνος scripsisse videtur, ubi falso codices νώνυμος indicant.[1] Non consentiunt inter se veteres grammatici vocis etymon aut ad ὕμνος aut ad ὄνυμα revocantes, inter quos est schol. B L ad M 70 νωνύμους· ἄνευ ὕμνων, ὅ ἐστιν εὐφημίας τῆς διὰ θρήνων ἀποβολῇ τοῦ ν· ἢ ἀνωνύμους· schol. V ad N 227 νωνύμνους τινὲς ἀθρηνήτους. Adiectivum compositum est e νη privativo et Aeolico ὄνυμα et significat in poesi epica nomine carentem, ignobilem, non celebrem. Pindarus, Aeschylus, Sophocles singula exhibent exempla: Pind. Ol. X 51 καὶ πάγον Κρόνου προσεφθέγξατο· πρόσθε γὰρ νώνυμνος, ἇς Οἰνόμαος ἆρχε, βρέχετο πολλᾷ νιφάδι i. e. Croni collem vocabat, qui fuit antea nomine carens; itaque et notio et etymologia Pindari aperta est; Aesch. Pers. 1006 βεβᾶσιν,[2] οἵ, νώνυμοι:[3] hoc

---

[1] Similiter ν littera a librariis omissa desideratur Pind. Ol. III 35 διδύμνοις, ubi codd. διδύμοις (cf. ἀπάλαμος Olymp. I 59, ἀπάλαμνος Olymp. II 57). Genuina est ν consonans in νώνυμνος (cf. ὀνομαίνω, nomen), sed ad libitum inserta in δίδυμνος, ἀπάλαμνος.

[2] Cf. Homeri νωνύμνους ἀπολέσθαι, Hesiod. op. 154 βῆσαν ἐς εὐρώεντα δόμον κρυεροῦ Ἀίδαο, νώνυμνοι.

[3] νώνυμνοι M, sed ω

quoque loco interpretatio ἄνευ ὕμνων vel ἀθρήνητοι excluditur, nam non ἄνευ ὕμνων vel ἀθρήνητοι perierunt, quoniam tragoediae magna pars in ipsa mortuorum commiseratione versatur, sed ignobiles, inglorii ceciderunt, iusti funeris expertes; Soph. El. 1084 οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν γὰρ ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει νώνυμος:[1] per anticipationem additum est νώνυμος, cum dictum sit neminem bonorum famam suam turpitudine afficere velle, ut fiat νώνυμος. Cum igitur εὔκλεια et νώνυμος inter se opposita sint, νώνυμος nihil aliud est quam ἀκλεής i. e. ignobilis. Ex his omnibus locis dilucide apparet infuisse huic voci apud posteros poetas notionem nomine carentis, ignobilis, et subesse derivationem e νη et ὄνομα neque unquam ceteras grammaticorum explicationes ἄνευ ὕμνων, ἀθρήνητος illis pristinis temporibus valuisse.

ξουθός semel legitur hymn. XXXIII 13 οἱ δ' ἐξαπίνης ἐφάνησαν ξουθῇσι πτερύγεσσι δι' αἰθέρος ἀΐξαντες, ubi ξουθός cum eiusdem stirpis esse videatur ac ξανθός flavum Dioscuridarum alarum colorem indicare verisimile est.[2] Sed facile fieri potuit ut si quis vocabulum obsoletum sibi ascisceret celeritatis vim inesse exemplo putaret, quod factum esse videmus in Chaeremonis loco fr. I 7 ξουθοῖσιν ἀνέμοις ἐνετρύφων φοροούμεναι, ubi ξουθός aeris celerem motum denotare certum est. Ceteri poetae flavitatis notionem servarunt, cum epitheton tribuerent semel ἱππαλεκτρυόνι (Aesch. fr. 134 ξουθὸς ἱππαλεκτρυών, quam locutionem saepius in suum usum vertit Aristophanes; cf. Nauck ad h. l.), plerumque api et lusciniae, velut Aeschylus et Euripides.[3]

ὄβριμος apud Homerum et Hesiodum proprie dicitur de rebus gravibus (ὄβριμον ἔγχος, ἄχθος, λίθος, θυρεός), deinde verbum simplex et composita ὀβριμοεργός, ὀβριμόθυμος, ὀβριμοπάτρη translate de personis et raro de rebus, quarum vis gravis est, ita ut sit vehemens, impetuosus, robustus et epitheti loco ap-

---

1 νώνυμνος L¹, sed ῠ.

2 Cf. Preller Gr. Mythol. II p. 105.

3 Cf. v. Wilamowitz l. l. II p. 148, qui Ionicae originis esse vocabulum indicat, cum Xuthi herois nomen hoc doceat, et eiusdem stirpis esse ac ξανθός negat.

ponatur Marti, Achilli, Hectori, Herculi, Minervae, praeterea apud Hesiodum Peliae, Argi, Orioni, filiis Urani et Gaeae, Iovis tonitrui, in hymn. Merc. 519 Stygis aquae. Varie explicant Hesych. ὄβριμον· βαρύ, ἰσχυρόν, et Et. M. 613, 23 ἰσχυρός, γενναῖος, ἀπειλητικός, δυνατός. A poetis posterioribus plerumque translata notione vox eiusque composita usurpantur de rebus personisque, ut sit gravis, ingens. Elegiacorum exempla plane usum Homericum imitantur neque quidquam ab eo differunt: Callin fr. 3 Κιμμερίων ὀβριμοεργῶν i. e. qui gravia faciunt; Tyrt. fr. 11, 25 ὄβριμον ἔγχος i. e. hasta gravis, ib. v. 27 ὄβριμα ἔργα i. e. facta ingentia; Solon. fr. 4, 3 ὀβριμοπάτρη Παλλὰς Ἀθηναίη; Theogn. 1307 ὄβριμε παίδων. Pind. Ol. IV 8 Αἴτναν ἔχεις ἶπον ἀνεμόεσσαν ἑκατογκέφαλα Τυφῶνος ὀβρίμου i. e. vehementis, impetuosi; Pyth. IX 27 κίγε νιν λέοντι... ὀβρίμῳ μούναν παλαίοισαν i. e. robusto. Similiter Aeschylus et Euripides translate vocem posuerunt pro gravis, vehemens, impetuosus: Aesch. Ag. 1411 μῖσος ὄβριμον ἀστοῖς: Clytaemnestra, coniugis interfectrix, his verbis a choro «odium grave civibus» appellatur; de bellatoribus impetuosis vel ferocibus Thebas oppugnantibus vocabulum exstat Sept. 779 πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβρίμων κομπάσματα. Locum Hesiodi de Iovis tonitru positum imitatur Euripides Ion. 213 κεραυνὸν ἀμφίπυρον ὄβριμον i. e. vehementem, impetuosum; Orest. 1454 Ἰδαῖα μᾶτερ μᾶτερ ὀβρίμα ὀβρίμα: Phryx magnam matrem hoc epitheto deam potentissimam denotat.

ὄ ζ ο ς. A solito scriptorum sermone vocem alienam fuisse inde elucet, quod apud Platonem tantum et Theophrastum exstat. Cum vero Euripides Iph. A. 199 Ἄρεος ὄζον et similiter Hec. 121 τὼ Θησείδα ὄζω Ἀθηνῶν praebeat, tam aperte locutionem Homericam imitatur, ut unde substantivum delibaverit poeta tragicus, dubium esse non possit. Recte de hoc substantivo exponit Apoll. Soph. 118, 30 ὄζος· κλάδος· ὅταν δὲ λέγῃ «ποδάρκης ὄζος Ἄρηος» μεταφορικῶς λέγει τὸν πολεμικὸν κλάδον τοῦ Ἄρεως, οἷον ἀπόσπασμα, καθάπερ τῶν δένδρων τοὺς κλάδους. Atque sic acceperunt hanc vocem poetae posteriores. Nam ut τὼ Θησείδα ὄζω Ἀθηνῶν nihil aliud significare potest nisi duos ramos vel stirpes Athenarum, ita idem valere necesse est de locutione Ἄρεος ὄζον. Pindaricus quoque usus convenit huic interpretationi:

proprie dicitur Pyth. IV 263 εἰ γάρ τις ὄζους ὀξυτόμῳ πελέκει ἐξερείψῃ μὲν μεγάλας δρυός, translate secundum morem epicum fr. 294 Ἀλέρας ὄζον (sec. coni. Hemsterhus.), Olymp. IX 76 ἐξ οὗ Θέτιος γ' ὄζος[1] (sec. coni. Bergk.) οὐλίῳ νιν ἐν Ἄρει παραγορεῖτο. Quae exempla idem quod Euripidea probant atque defendunt.

ὀμφή[2] coniungitur ubique ab Homero cum θείῃ vel θεοῦ vel θεῶν et non vocem quamlibet, sed divinum praesagium significat, de quo usu docet schol. A ad B 41 ὀμφή· ἡ θεία κληδών, οὐ πᾶσα φήμη (cf. Lehrs l. l. p. 88). Sed poetae posteriores hunc usum Homericum non servarunt, sed modo divinae, modo cuiuscumque vocis notionem imposuerunt vocabulo; itaque illa observatio non antiquior est Alexandrinis.

οὐτιδανός formatum est ex οὔτις terminatione -δανος, quae etiam in ἠπεδανός et ἐλλεδανός exstat, suffixa et in poesi epica ponitur de hominibus nihili, nullius pretii, ignavis, infirmis, vilibus. Aeschylus vocem semel in suum usum convertit Sept. 348 γᾶς δόσις οὐτιδανοῖς ἐν ῥοθίοις φορεῖται. Non aptam esse interpretationem scholiastae patebit: οὐτιδανοῖς ἐν ῥοθίοισι· ἀχρείοις, ἤτοι ἀνευφράντοις, οὔτι δάνος καὶ ἡδονὴν ἐμποιοῦσιν. οἱ γὰρ Δωριεῖς τὸ γάνος δάνος λέγουσι, καὶ τὴν γῆν δᾶν, καὶ τὸν γνόφον δνόφον. εὐφυῶς δὲ ὁ ποιητὴς τῷ ῥοθίοισι προσέθηκε τὸ οὐτιδανοῖς· ἐπειδὴ γὰρ τὰ ῥόθια καὶ τὰ τῆς θαλάσσης ὑγρὰ κέλευθα ἐπωφελῆ πᾶσι τυγχάνουσι, δι' αὐτῶν γὰρ ὁ πλοῦς τὰ ζωαρκῆ κομίζει ταῖς πόλεσιν, ἐξ ὧν αὐταὶ συνίστανται, ὁ ποιητὴς ἐνταῦθα εἰπὼν ῥοθίοισιν, ἵνα μὴ τοῖς ὠφελίμοις νοήσῃ τις καὶ ζωογόνοις, τὸ οὐτιδανοῖς προσέθηκε. Ἄλλως· ἐπειδὴ τὰ κύματα ἔσθ' ὅτε ὠφέλειαν παρέχεται ταῖς πόλεσι· δι' αὐτῶν γὰρ ὁ πλοῦς τὰ ἐπιτήδεια κομίζει· προσέθηκεν ἐπίτηδες τὸ οὐτιδανοῖς, οἷον ἀχρείοις. τροπικῶς δὲ ῥόθια εἶπε τὰ συνεχῆ κινήματα τῶν πολεμίων. Ἄλλως, ταῖς ὑβριστικαῖς κινήσεσι τῶν πολεμίων· ἢ τούτους ῥόθιά φησιν, ἐπειδὴ συντόνως πολεμοῦσι. Imaginem Aeschyli verbis exprimi apparet atque eo quidem modo, ut hostium

---

[1] Valde incertum; quid γέ significet non apparet.

[2] Apud Arcades i. q. odor, inde εὔομφος pulcre restituit Nauck apud Athen. XV 682 c pro εὐόμφαλον.

motus impetusque comparentur maris fluctibus strepitibusque, qui terram inundent. Sed ut apud Homerum οὐτιδανὰ ῥόθια sine dubio significant fluctus infirmos, viles, quibus nulla vis inest (cf. ἄναλκις, ὀλίγος, ἄκικυς cum οὐτιδανός coniuncta), ita apud Aeschylum tale quid non significari, sed potius contrarium quid exprimi certum est. Nam fluctus vel strepitus exiguos, infirmos, parvos interpretari vanum et absurdum esse apparet, cum potius vehementes, rapidi, impetuosi sint fluctus, quibus hostium motus et impetus comparantur. Itaque scholiasta aliam explicandi loci viam ingressus est, cum interpretetur οὔτι δάνος . . . ἐμποιοῦσιν. Sed omnino fieri non potuit, ut Aeschylus οὐτιδανός ita intellegeret, ut ex οὔτι et δάνος i. e. donum, munus, fructus, pretium compositam iudicaret vocem et usurparet pro «nullum fructum vel pretium praebens et afferens», cum nusquam usurpetur δάνος ante Alexandrinos. Itaque alia quaerenda est explicatio, cui eam notionem inesse necesse est, qua describatur ῥοθίων vim deletricem. Ergo colligendum est οὐτιδανός active positum esse, ut sit «ad nihil redigens, delens». Nam ῥόθια cum auferant γᾶς δόσιν, hoc epitheton apte accipere apertum est.

πολυδίψιος, quod legitur Δ 171 πολυδίψιον Ἄργος, ad siccitatem et ariditatem terrae Argivae pertinere constat, sed Alexandrini explicabant aut πολυπόθητον (cf. Hesych. Suid. Et. M. Strabo, Athen. X 433 e) aut βλαβερόν (cf. Apollon. Soph.). Talia veteres poetas non novisse certum est et maxime elucet ex Eurip. Alc. 560 Ἄργους διψίαν χθόνα, de quo loco Lechner de Hom. imit. Eur. p. 21 recte haec exponit: «Apparet ex hac imitatione πολυδίψιον non fuisse veteribus πολυπόθητον, id quod nonnulli voluerunt (e recentioribus Doederlinus Gloss. Hom. 156, minus tamen confidenter in editione Iliadis), neque πολυδιάφθορον, sed ἄνυδρον. Euripides enim ita adiectivum intellexit. Et aptissime hoc convenire illius regionis naturae, si modo non totam Peloponnesum, sed Argiam terram Ἄργος dici tibi persuaseris, planum fecit E. Curtius in libro de Peloponneso scripto II, p. 558, not. 4.»[1] Cetera exempla, ubi δίψιος exstat, cum se-

[1] Cf. Hesiod. fr. 49 Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς ποίησεν ἔνυδρον.

cundum communem usum posita sint neque ex imitatione Homerica fluxerint, neglegenda sunt.[1]

πόποι. Cum Homerus eumque secuti Pindarus et Sophocles semper ὢ πόποι praebeant, Aeschylus et ὢ πόποι et ἰὼ πόποι ponit. Interpretes dissentiunt, utrum significet «o dii», qua vi Lycophron et Euphorion inepte doctrinam ostentantes usurpabant, an sit interiectio vel exclamatio dolentis, quomodo re vera apud Homerum haec locutio accipienda est. Hesych. πόποι· παπαῖ· ἐπίφθεγμα σχετλιαστικόν. Ἀπίων δέ φησιν ὅτι δαίμονές εἰσι πόποι καὶ ἔστιν ὢ δαίμονες (cf. Lehrs l. l. p. 118). Apud Aeschylum exclamationem dolentis voce significari patet e Pers. 733 ὢ πόποι κεδνῆς ἀρωγῆς κἀπικουρίας στρατοῦ, ubi nihil aliud nisi interiectionem esse posse perspicuum est. Eadem significatio ceteris poetarum locis intellegenda est: Pind. fr. 182 ὢ πόποι, οἷ' ἀπατᾶται φροντὶς ἐπαμερίων οὐκ εἰδυῖα· Aesch. Ag. 1085 ἰὼ πόποι, τί ποτε μήδεται; Pr. 598 ἰὼ ἰὼ πόποι, ποῖ μ' ἄγουσι; Pers. 854 ὢ πόποι, ἦ μεγάλας ἀγαθᾶς τε πολισσονόμου βιοτᾶς ἐπεκύρσαμεν. Eum. 145 ἐπάθομεν πάθος δυσαχές, ὢ πόποι, ἄφερτον κακόν. Soph. Tr. 853 κέχυται νόσος, ὢ πόποι, οἷον ἀναρσίων οὔπω Ζηνὸς κέλωρ' ἀγάκλειτον ἐπέμολεν πάθος οἰκτίσαι, O. R. 167 ὢ πόποι, ἀνάριθμα γὰρ φέρω. Minime credibile est ab his poetis ad deorum invocationem ὢ πόποι adhiberi, immo vocem cum omnibus locis ab hominibus vehementissimo animorum dolore percussis usurpetur, multo verisimilius est exclamationem conquestionis vel interiectionem existimandam esse, ut idem sit quod Latinorum «vae». Quam interpretationem veram esse vel inde intellegere licet, quod nullo loco deorum invocatio, sed dolentium querelae locutionem ὢ πόποι sequuntur. Utrum Aeschylus praeter πόποι

---

[1] Panofka qua erat arte et sagacitate ariolandi in antiquis monumentis interpretandis cum in cista Praenestina Argi Herculis amici aquam haurientis figuram detexisse sibi videretur, inde illum cepisse putat hoc munus, quod artifex (per ὁμωνυμίαν quandam potius poeta comico dignam) illud epitheton δίψιος, quo Argos terra notatur arida, in personam Argi, quem sitientem finxit, transferret (cf. Berichte der königl. preuss. Akad. der Wiss. 1851, p. 125) Hanc doctrinam, quam serio iocatus est ille vir, quis non miratur! cf. Jahn, die Ficoronische Cista, Leipzig 1852, p. 23.

formam ποποῖ posteriore syllaba inflexa scripserit an τοτοῖ legendum sit Pers. 563, Ag. 1056, 1060, in codicum discrepantia incertum est. Vidimus autem hos poetas interpretationem apud Alexandrinos solitam et ab Aristarcho demum refutatam, quae ὦ πόποι per «o dii» explicabat, ignorasse et exclamationis tantum loco «vae, papae, heu» significantis vocem in suum usum vertisse.

πρόμος apud Homerum ubique idem significat quod πρόμαχος, et qui regem vel principem interpretabantur, ab Aristarcho reiecti sunt. Schol. A ad H 75 ὅτι πρόμον τὸν πρόμαχον, sed falso Apollon. Soph. 135, 22 πρόμος ὁ βασιλεύς, ὅ ἐστι πρόμαχος (cf. Lehrs l. l. p. 101). Aeschylus, Sophocles, Euripides πρόμον principem intellegunt omnibus locis: Aesch. Ag. 210 χείματος ἄλλο μῆχαρ βριθύτερον πρόμοισιν μάντις ἔκλαγξεν. ib. 419 ἰὼ ἰὼ δῶμα δῶμα καὶ πρόμοι, Eum. 402 Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι, Suppl. 916 ἰὼ πόλεως ἀγοὶ πρόμοι, δάμναμαι. Soph. O. C. 884 ἰὼ γᾶς πρόμοι, O. R. 660 τὸν πάντων θεῶν θεὸν πρόμον. Eur. Phoen. 1244 τῆσδε μὲν πρόμον χθονός, Tro. 31 Ἀθηναίων τε Θησεῖδαι πρόμοι, Iph. A. 699 Αἰακὸν δ' ἔφυσεν, Οἰνώνης πρόμον, Heraclid. 670 ἴσασιν, οἶμαι, ταῦτ' Ἀθηναίων πρόμοι: non sunt Atheniensium duces, sed principes Demophon et Acamas.

ῥαδινός. E scriptoribus Xenopho solus in rep. Lac. II, 6 ῥαδινὰ τὰ σώματα hac voce utitur. Verbum semel apud Homerum Ψ 583 ἱμάσθλην ῥαδινήν, in hymn. Cer. et apud Hesiodum de dearum pedibus lectum varie circumscribitur. Schol. B ad Ψ 583 λεπτήν, ἐπιμήκη, χαριεστάτην, Apollon. Soph. ῥαδινόν. λεπτόν. οἱονεὶ ῥαδονόν, παρὰ τὸ ῥᾳδίως δονεῖσθαι, Hesych. ῥαδινόν· λεπτόν, ἰσχνόν, εὐκίνητον, ἁπαλόν, εὐδιάσειστον, Et. M. 701, 14 ῥαδινώτερον· κοῦφον, ἐλαφρότερον. Vix alia quam teretis vel teneri notio valet in poesi epica et falso quidam velocitatis vim inesse voluerunt. Theognis bis feminarum manibus tribuit hoc epitheton v. 6 φοίνικος ῥαδινῆς[1] χερσὶν et v. 1002 ῥαδιναῖς χερσί: quamquam non certa, tamen teneri notio aptissima est. Alia vero plane ferri non potest in Alcm. fr. 39 χρύσιον ὅρμον ἔχων ῥαδινᾶν πετάλοις

[1] Ῥαδινῆς neque ῥαδινῆς sine dubio scribendum, cum conieramus hymn. Cer. 183 ῥαδινοῖσι θεῆς ποσσὶν eundemque locum Hesiodi atque Theogn. v. 1002.

ἴσα καλχᾶν, itemque Anacr. fr. 66 ἀλλὰ πρόπινε ῥαδινούς, ὦ φίλε, μηρούς. Aeschylus uno loco adiectivum posuit Pr. 416 ἀπ' ὄσσων ῥαδινῶν (M, ῥαδινόν recc.)[1] λειβόμενα ῥέος: sive hanc sive illam scripturam sequimur, utique in ῥαδινός teneri significationem inesse nobis censendum est. Nam sive Aeschylus ῥαδινὸν ῥέος scripsit, his verbis aperte Homericum illud τέρεν δάκρυ expressit; sive ὄσσων ῥαδινῶν legendum est, hoc epitheton optime ad teneros et venustos virginum oculos refertur. Eandem Aeschyleorum verborum interpretationem scholiasta B ἁπαλῶν, παρθενικῶν explicans praebet, cum minus recte et apte alii interpretes scholiastam P εὐκινήτων intellegentem secuti poetam oculos «mobiles» dixisse velint. Ergo hos omnes poetas nulla alia nisi teneri notione vocem usurpasse censendum est.

ῥέθος. De hac voce legimus apud schol. A ad Π 856 ψυχὴ ἐκ ῥεθέων πταμένη· ὅτι πάντα τὰ μέλη ῥέθη Ὅμηρος προσαγορεύει, οἱ δὲ Αἰολεῖς μόνον τὸ πρόσωπον. Hanc consuetudinem, quae ῥέθος pro πρόσωπον usurpavit, Aeolici sermonis propriam fuisse elucet ex huius vocis usu qualis exstat apud Alcaeum, si modo in fr. 150 ῥεθομαλίδας vox recte ad eum refertur (cf. quae Bergk annotavit ad h. l.), deinde Theocritus quod in carmine Aeolico 29, 16 καὶ μέν σευ τὸ καλόν τις ἰδὼν ῥέθος αἰνέσαι posuit ῥέθος pro πρόσωπον, sine dubio alicuius poetae Aeolici, fortasse Alcaei exemplari se addixit. Soph. Ant. 529 νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν ῥέθος αἰσχύνει, et Eurip. Herc. 1205 ῥέθος ἀελίῳ δεῖξον cum substantivo faciei notionem tribuant, hic communis poetarum usus ad dialectum Aeolicam revocandus est, ita tamen ut tragici e Dorica poesi lyrica, quae multa debet Aeolicae, eius usum et cognitionem haurirent. Itaque tragici in hoc vocabulo usurpando non ab Homero pendent.

σπίδιος. Forma Homerica σπιδής non legitur apud posteriores, sed σπίδιος tantum apud Aeschylum, qui aut ipse terminationem mutavit aut iam in vetere poesi invenit. Hesych. recte explicat μεγάλου, στρογγύλου, μακροῦ. Sed ex antiquis criticis quidam, inter quos fuit Aristarchus quamquam dubitans, pro

---

1 Sed ὄσσων ῥαδινῶν defenditur collato ῥαδινοὶ πόδες et χεῖρες ceterorum poetarum.

διά σπιδέος πεδίοιο proposuerunt δι' ἀσπιδέος πεδίοιο, ut esset πεδίον ἀσπιδὲς τὸ περιφερές, δίκην ἀσπίδος πάντοσε ἴσης, nam patentem campum apparere oculo intuenti rotundum, quia oculus terminum alium circa nullum deprehendat; Ptolemaeus vero explicavit: planities, quae multa habeat scuta (cf. Eust. 882, 54, Et. M. 271, 8, Lehrs l. l. p. 152). Neque eiusmodi formam neque tales notiones Aeschylum nosse comprobatur fr. 378 σπίδιον μῆκος ὁδοῦ, ubi σπίδιος non aliter explicari potest quam per μακρός, μέγας.

τανύφλοιος apud Homerum est longum corticem habens et ponitur de cornus arboris proceritate, sed non eodem modo ab interpretibus explicatur.[1] Qua significatione acceperit vocem Sophocles clare patet e Sophocleo fr. 535 τανυφλοίου αἰγείρου i. e. longo cortice praedita, procera, quod exprimi facile intellegimus, cum populi naturam per se ipsam contemplemur et conferamus Soph. fr. 22 αἰγείρου μακρᾶς et η 106 μακεδνῆς αἰγείροιο. Omnes ceterae explicationes plane excludendae sunt, nam populus neque dici potest «starkrindig», cum habeat tenuem corticem, neque «mit ragenden aesten», cum brevissimos ramos emittat, neque «lentum habens corticem, qui trahi potest in longum», cum eius cortex non sit ita comparatus, ut in longum trahi possit, sed quasi fragilis et intercisus.

τηλύγετος. Quae etymologia et notio huic vocabulo ab Homero filiis filiabusque dilectis tributo subsit, ambiguum est, sed duae omnino interpretationes valuisse videntur, altera, quae «unigenitum», altera, quae «in senio natum» explicabat. Veterum grammaticorum doctrinam de hac voce traditam cognoscimus ex Apollon. Soph. 152, 16 τηλύγετος· κυρίως μὲν ὁ τηλοῦ τῆς ἡλικίας γεγονὼς τοῖς γονεῦσι, μεθ' ὃν οὐκ ἂν τις γένοιτο· «ἄμφω τηλυγέτω». ἐπεὶ οἱ τοιοῦτοι ἀγαπητοὶ γίνονται, καὶ ὁ ἐν νεότητι γενόμενος μονογενὴς τηλύγετος, καὶ τηλυγέτη. ἐπὶ δὲ τοῦ «ἀλλ' οὐκ Ἰδομενῆα φόβος λάβε τηλύγετον ὥς» οὐκ ἔφυγεν ὡς τηλύγετος παῖς· οἱ γὰρ τοιοῦτοι ἀσθενεῖς γίνονται ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. ἔνιοι δὲ, ἀλλὰ τὸν Ἰδομενῆα οὐκ ἔλαβε φόβος, καίπερ τηλύγετον αὐτὸν ὄντα, τουτέστιν

[1] E nostris grammaticis Duentzer vult «starkrindig», Doederlein Gloss. Hom. I, 143 «mit ragenden ästen», alii «qui lentum habet corticem, qui trahi potest in longum».

ἤδη τηλοῦ τῆς ἡλικίας γεγονότα... ἀμφότερα δὲ λόγον ἔχουσι. Ergo praeter illas duas pervulgatas tertiam aliorum explicationem ad extremum apposuit Apollonius, quae est sine dubio grammaticorum commenticia et ficta. In poesi epica utrum unigeniti an in senio nati notio vera sit, ex usu vocabuli demonstrari non potest, quamquam illa primaria et pristina fuisse videtur, cui «unigeniti» interpretationi non adversatur I 482 παῖδα μοῦνον τηλύγετον, quod ubertati epicae debetur. Sed alia «in senio nati» significatio statuenda videtur loco h. Cer. 164 τηλύγετος υἱὸς ὀψίγονος, ubi ὀψίγονος interpretandi causa additum est. Sed Euripides cum vocem in suum usum verteret Iph. T. 828 ἔχω σ', Ὀρέστα, τηλύγετον χθονὸς ἀπὸ πατρίδος Ἀργόθεν, qua vi eam posuerit, incertum non est. Nam cum τηλύγετος et χθονὸς ἀπὸ πατρίδος inter se arte copulanda sint (praepositionem enim ἀπὸ a τηλύγετος pendere necesse est), τηλύγετος amotionem a loco et segregationem significat, ut sit «procul absens» et idem quod τηλοῦ ὤν. Singularem esse hunc usum et recedere a reliquis vocabuli explicationibus e grammaticis notis cum appareat, quae eius causa et ratio sit explorandum est. An putamus Euripidem Homericam notionem aliquatenus mutasse, ita ut novationis quodam studio ductus loci quam temporis significationem inesse mallet? Sed poeta tragicus cum eodem modo quo Homerus (I 143, 285) Oresti epitheton τηλύγετος tribueret, tantum abest, ut a poeta epico recederet, ut consulto illum imitatione sua sectaretur. Itaque fieri non potest, quin eandem significationem subiecerit, quam putavit Homeri exemplis subesse. Atque sane si neglectis ceteris exemplis vocem τηλύγετος exhibentibus solum locum I 143 spectamus (I 285 nihil est nisi repetitio huius prioris versus), quo Agamemno de Oreste domi ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ versante verba facit eumque τηλύγετον vocat, ibi «procul absentis» vim valere et usum Euripideum inde fluxisse facile credideris, praesertim cum verbi prior pars τηλυ- hanc procul absentis notionem certo indicare videretur.

φ ο ν ή. Imitationis Homericae luculentum exemplum, quo quantopere posteriores scriptores ex Homero pendeant doceatur, usus vocis φονή praebet, cuius cum apud Homerum non legatur nisi semel ἐν φονῇσι, semel ἀμφὶ φονῇσι, Pindarus, poetae tragici,

ipsi prosae orationis scriptores ἐν φοναῖς tantum usurpant (praeter Soph. Ant. 1003 φοναῖς, ubi ἐν χηλαῖσιν v. i.), ut vocabulum intermortuum fuisse eam ipsam ob causam necessario concludendum sit. Apud Homerum vocabulum bis lectum significat caedem, sed a grammaticis ambigebatur caedesne intellegenda esset an caedis locus, velut a schol. B L V ad O 633 ἀμφὶ φονῇσιν· τῷ φόνῳ ἢ τῷ τόπῳ ἔνθα πεφόνευται. Quam posteriorem loci interpretationem ab Homeri et imitatorum locis alienam et a grammaticis fictam esse iudico, quibus cum fere ubique ἐν (O 633 ἀμφί) φοναῖς occurreret (excepto Soph. Ant. 1003, ubi ne ἐν φοναῖς poneret poeta, impediebant verba praecedentia ἐν χηλαῖσιν), hic constans praepositionis usus multo verisimilius locum quam modum ac rationem indicare videbatur, cum re vera haec solita praepositionis ἐν appositio e formulae Homericae imitatione fluxisset. Itaque ne Boeckhium quidem hanc scholiastarum explicationem, quae loci significationem voci inesse vult, in Pindari loco Pyth. XI 37 πέφνεν τε ματέρα θῆκέ τ' Αἴγισθον ἐν φοναῖς sprevisse miror; recte Dissen explicat: «stravit cruenta occisione», neque Boeckhio assentiendum esse puto, qui haec dicit: «Formulam θῆκεν ἐν φοναῖς circumlocutionem putes esse simplicis ἐφόνευσε: sed rectiorem iudico scholiastae explicationem de loco caedis, ut Iliad. κ 521 interpretantur veteres: favent etiam Sophoclis verba ab Heynio collata Ant. 696 ἐν φοναῖς πεπτῶτ' ἄθαπτον. Pindaro prior Clytaemnestra, mox Aegisthus caesus dicitur, ut Sophocli Electr. 1411 sqq. apud quem Aegisthus in eodem loco occiditur, ubi Agamemno trucidatus erat: quem locum vide ne φοναί significent.» Sed haec Boeckhii explicatio, quae per locutionem ἐν φοναῖς communem, ubi Agamemnoni et Aegistho moriendum erat, locum indicari suspicatur, longe repetita et artificiosior est, quam ut tale quid Pindarum in animo habuisse credamus, immo per θῆκεν ἐν φοναῖς idem quod per πέφνεν significari et poetam in hac formula adhibenda nihil aliud quam dicendi varietatem efficere voluisse certum est. Itaque ἐν φοναῖς per ἐν φόνῳ i. e. caede explicandum est apud Pindarum neque aliter apud ceteros poetas: Aesch. Ag. 454 τὸν δ' ἐν φοναῖς καλῶς πεσόντα i. e. in pugnae caede, quamquam hoc loco alteram loci explicationem etiamsi non veram, attamen non ineptam esse concedendum est; Soph. Ant. 1003 σπῶντας

ἐν χηλαῖσιν ἀλλήλους φοναῖς ἔγνων· recte Ellendt explicat: «schol. ταῖς αἱμακτικαῖς, ut φοναῖς adiectivum esse crediderit rettuleritque ad χηλαῖσιν; σπῶντας ἐν χηλαῖσιν φοναῖς est ἐπὶ φόνῳ (?),[1] φονεύσοντας ἀλλήλους.» Soph. Ant. 1314 ποίῳ δὲ κἀπελύσατ' ἐν φοναῖς τρόπῳ; i. e. φόνῳ vel φονεύων; Soph. Ant. 696 τὸν αὑτῆς αὐτάδελφον ἐν φοναῖς πεπτῶτ' ἄθαπτον: eadem caedis explicatio quae prioribus Sophoclis exemplis si non certa, tamen verisimillima est. Eur. Electr. 1207 ἔδειξε μαστὸν ἐν φοναῖσιν i. e. mammas caede deformatas, cruentas; Hel. 154 ἄπεστι δὲ κυσὶν πεποιθὼς ἐν φοναῖς θηροκτόνοις i. e. in caede fericida, cum θηροκτόνος epitheton vix adiungi possit φονή voci loci notione indutae. Itaque satis patet vocabulum φονή nunquam significare caedis locum, sed semper caedem.[2]

φύλοπις. Apud Homerum tumultus, pugna, caedes hoc vocabulo notatur. Explicatur ab Apollon. Soph. 165, 22 φύλοπις· ἡ μάχη, sed alius interpretationis vestigium exstat apud schol. B ad Z 1 φύλοπις δὲ ὁ ἐμφύλιος πόλεμος κακῶς παρά τισι λέγεται· ἀλλ' ἡ μετὰ βοῆς φῦλα συνάπτουσα ἀμφότερα τῶν τε Τρώων καὶ Ἑλλήνων μάχη. Sophocles ad rixam Electrae et Chrysothemis transtulit verbum El. 1071 τὰ δὲ πρὸς τέκνων διπλῆ φύλοπις οὐκέτ' ἐξισοῦται φιλοτασίῳ διαίτᾳ. Dubium esse non potest, quomodo intellexerit vocem Sophocles. Cum enim de contentione inter sorores coorta eam adhibuerit, hic usus ad illam etymologiam revocandus est, qua φύλοπις explicatur per ἐμφύλιος πόλεμος. Hanc igitur etymologiam a schol. B ad Z 1 traditam iam Sophoclis temporibus valuisse inde iure colligendum est. Cum legatur Mimnerm. fr. 14 ἐποίχεσθαι φυλόπιδος κρατερῆς ἔργον, hoc plane Homericum usum imitatur.

[1] Potius ἐν φόνῳ.

[2] In Aristophanis loco Av. 1070 ἐν φοναῖς ὄλλυται parodia tragica agnoscenda est. E scriptoribus si recedimus ab Aeliano et posterioribus, Herodotus IX 76 solus exemplum praebet plane epicum sermonem imitatus: ἐν τῇσι φονῇσι ἐόντας i. e. in caedibus adhuc occupatos.

E TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS I. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MUENDEL SOCII).